EXCURSIO

IN LIBRUM CUIUS INSCRIPTIO EST:

DE

CANONICORUM CATHEDRALIUM

JURIBUS, AC MUNERIBUS.



NEAPOLI 1798.

Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prælati, & Hierarchæ ex primaria institutione Christi.

Gerson de Potest. Eccl. Consid. XII.

EXCELLENTISS. AC REVERENDISS. ANTISTITI

D. AUGUSTINO GERVASIO

ARCHIEPISCOPO CAPUANO

&c. &c. &c.



Um tot, tantaque ſint tuæ argumenta virtutis, tuarumque laudum monumenta ſempiterna, fruſtra ut futurus eſſe videatur eloquentiſſimus licet quiſque, qui ad ea

oratione quovis pacto persequenda animum adjicere non dubitet , næ ego in hac ingenii mei vix mediocritate aliqua , stultitiæ, impudentiæque notam non effugero , si ea nunc vel celebranda, vel etiam percensenda, numerandave suscipiam. Quæ cum ita se se habeant, & cum tuæ mihi laudes necessario sint eam ob causam prætereundæ , ne eas ingenii culpa , dicendo potius imminutum, ac detritum eam, illud certe non omittam, ut primum Ecclesiasticæ rei, in qua scilicet administranda tantopere non tam gradu , quam prudentia , diligentiaque emines singulari, suam felicitatem & gratuler, & quam diutissimam adprecer , deinde TIBI *profitear me eum esse , qui* TUI *, tanti scilicet , talisque viri memoriam, qua nihil mihi gratius, sanctiusque , & admiratione , & benevolentia, quanta fieri potest maxima, nullo*

lo unquam tempore colere , atque complecti desistam . Verum de his satis . Ad me enim veniam , totamque ab initio consilii mei rationem exponam , quamobrem factum sit , ut in animum induxerim lucubrationem hanc paucos intra dies exaratam TIBI *sistere , tuoque præcipue Nomini inscribere . Diu jam est cum egregiis ego animi tui dotibus captus aliquem litterarium laborem (& non paucos variorum argumentorum Commentarios in forulis delitescentes domi habebam) meæ erga* TE *voluntatis testem publice extare perhonorificum mihi fore duxi , idque perficiendi opportunum ut aliquod incideret tempus votis omnibus optare , atque expetere cœpi . Nuper vero cum Aversanæ Cathedralis Theologus Opus* DE CANONICORUM CATHEDRALIUM JURIBUS *evulgasset , equidem & veritatis tuendæ studio , & amicorum efsta-*

flagitationibus permotus facile ad id me adduci passus sum, ut quid ea de re, quam Theologus pertractandam aggressus fuerat, sentiendum foret, nulla ceteroquin ex parte, mea erga hominem observantia imminuta, ingenue aperirem, scriptoque mandarem. Id autem consilii vix ut cepi, sensi illico justam tandem diuturnum meum desiderium explendi occasionem fuisse oblatam. Qua in re non tam illud vereor, ne in Te *per has ineptias interpellando audaciæ nomine sim reprehendendus, quam futurum spero, ut a justis rerum æstimatoribus magnam judicii, prudentiæque laudem sim consecuturus, quod suscepti a me laboris hujusmodi patronum, ac veluti vindicem, neminem præ* Te *alium optare in mentem venerit, præ* Te *inquam, qui & ad verum internoscendum tam acri judicio, tantaque polles intelligendi facultate,*

tate, & ad illud defendendum partim ab insuperabili quodam innato animi tui impetu duceris, partim a persona illa, quam tanta cum dignitate sustines, non admoneri Te *solum, sed plane adstringi intelligis. Sed finis sit; a pluribus enim consulto supersedeo, ne si longius in hanc sententiam dissseram, in eam partem a quoquam mea accipiatur oratio, quasi id ego existimem,* Te *ad recte, vereque de rebus judicandum, & pro veritate decertandum vel mea, vel alterius cujuspiam opera excitari debere. Illud jam restat, ut postquem* Tibi *bonorum omnium voluntatem erga* Te *indicavero, eorumque pro tua salute, atque incolumitate vota aperuero;* Te *denique orem, atque obtester, ut* Tu*, quod jam facere cœpisti, nunquam illos vicissim luculentissimis tuæ benevolentiæ signis demereri, eorumque ju-*

stissimis veritatis vindicandæ desideriis velificari intermittas. Datum Aversæ Idibus Julii 1798.

Excellentiæ Tuæ Reverendiss.

Addictissimus, & obsequentissimus
Antonius Malvasius.

CRESCENTIUS CORVINO PAROCHUS
AD
ANTONIUM MALVASIUM PAROCHUM.



QUæcumque, ANTONI, chartis illeveris hiſce,
Attento percurri oculo, trutinaque ſevera
Penſavi, primos verſus meditatus ad imos,
Difficile & dictu eſt quantum ſcripta omnia recto
Stent talo, & quantas laudes mereantur utroque
Pollice. Lectori ſit quidnam diſpliciturum?
Ordo fortaſſis? conaris callidus arte,
Quæque locata ſuis in ſedibus ut jaceat res:
Eloquium? Latii loqueris ſermone meraco:
Lingua loquax? clarus ſimul, & brevis eſſe laboras:
Quid tandem? Canonum ne inſcitia? nominis audis
Vir multi, interpres Canonum, fiduſque magiſter.
Hoc opus ergo tuum quo puncto digner? ad hæc ſi
Jungam ea præſertim, quibus hoc mage nobile fiat;
Nimirum quibus amiſſas reparare queas res,
Erigere, & Parochos alioqui diſpereuntes.
Doctus enim doctam promis de jure querelam, &
Cauſsaris partem noſtri abſtraxiſſe peculi
Hactenus intacti, propriamque petiſſe ſui ceu
Mancupi factam Scriptorem nempe libelli;
Quem petis *excurrens*, ut quod rapuit, repetas mox
Prolatis tabulis, & certis teſtibus uſus;
Atque agitas adeo cauſſam, litemque peroras,

Rurſus

Rursus ut integro videamur jure potiri.
Tanta opus, o bene, cælasti ingeniosius arte. Hinc
Macte tua virtute omnes iteramus ovantes,
Vindiciis latis ut victorum genus. Atqui
Addemus potiora etiam præconia laudum
Dum te suspicimus, qui contra dicta refellis
Totus in hoc, restent obstantia nequa Parœcis.
Unde innutritus studiis, ac mente sagaci, &
Præceptis sophiæ multis, magnisque madenti
Rimaris rerum monimenta arcana volutans,
Ac veri vindex convincis crimine falsi
Argumenta forent quæcumque infarta libello.
Quid scriptor? rejectus abivit non aliter, quam
Sorte sua haud contenta, atque ambitiosa volucris;
Hæc est, quæ plumas pavonibus abstulit; in spem
Hanc arrepsit enim spectacula pandere rapto,
Qualia nequaquam proprii potuere colores.
Quorsum at consilium malesanum mentis iniquæ?
Novit ubi custos, rigidusque satelles honoris
Grex avium, insurrexit atrox, petiitque dolosam, &
Decrevit rostris *alienum restituiri*.
Sic male mulcata effugit cornicula, & exspes:
Hæc ab eo vero non multum abludit imago,
Qui jura, & decora, & nostros tentavit honores;
Quamvis hic autem discessit amiculus, atque
Comiter exceptus, neque verbo captus ab ullo;
Obsequio grassaris enim, non verbere linguæ;
Accedat quo major honos operique, tibique,
Qui non invidia, sed veri scribis amore.

INDEX

I N D E X

LECTORI SI QUIS ERIT. pag. 3
SCOPUS HUJUS OPUSCULI. 9
DISCUTITUR PRÆFATIO CLARISSIMI THEOLOGI NOSTRI. 11
In Primam Partem Libri ejusdem Theologi. oo
§. I. Theologus noster dum Canonicorum causam agit, illam prodit. 2. Parochi conflarunt Presbyterium illud, pro quo ipse pugnat. 3. An Episcopi & Presbyteri cognomines olim fuerint. 4. Solvitur objectio ex Epist. ad Philipp.. 5. Item ex Actibus App. 17
§. II. Inanis protestatio Theologi nostri. 2. Bona fide, & nolens Episcopalem potestatem enervat. 3. Quomodo accipiendi qui formam Presbyterii ex Judaicorum Rituum institutis deductam dicunt. 4. Germana Episcopalis dignitatis imago. 27
§. III. Theologus noster innoxius Bullæ Pii VI. violator. 2. Nunquam Ecclesia passa est simplices Presbyteros assidere cum Episcopis in Generalibus Conciliis controversiarum Fidei judices. 3. Nec ipsi Presbyteri opinati sunt unquam sibi jus illud adesse. 4. Ex Tridentini facto confirmatur hoc ipsum. 5. Frustra Theologus noster contra pugnat exemplo Concilii Hierosolymitani. 33
§. IV. Ex electione S. Mathiæ causæ suæ præsidium quærens Theologus noster difficilem incidit in nodum. 2. Refellitur ejus senten-

tia

tia de Sortibus ibi commemoratis. 3. Diaconorum inauguratio nihil ejus causæ roboris addit. 38

§. V. Excommunicatio in incestuosum Corinthium non arguit jus illud quod pro Presbyterio urget Theologus noster. 2. Neque illius absolutio. 3. Multo minus Eleemosynarum Collectores, & Distributores. 43

§. VI. Primi subsellii Doctorem se prodit Theologus noster disputans de potestate divinitus Presbyteris collata. 2. Feliciter Adversarios refellit. 3. At gravia momenta nos ejus doctrinæ prorsus acquiescere non sinunt. Inaniter argumentatur ex Hierarchia Tridentini auctoritate constabilita. 46

§. VII. Frustra in susceptæ causæ patrocinium Traditionem advocat Theologus noster. 2. Ignatii Martyr. sensus aperitur. 52

§. VIII. His quæ contra hactenus posita ex Ignatio Theologus noster opponit, satisfit ex eodem Ignatio. 56

§. IX. Polycarpus, & Irenæus quos objicit Theologus noster non sunt nobis contrarii. 2. Insignis Epistola Ecclesiarum Viennensis, & Lugdunensis Theologo nostro non suffragatur. 3. Nec Justinus, & Tertullianus. 4. Clemens Alex. & Origenes sententiæ nostræ non adversantur. 62

§. X. A Canonibus App. sententia nostra non metuit. 2. Non mediocriter tamen illi incommodant Theologo nostro. 3. Antiquissimorum in quibus hic versamur temporum usus, & praxis Ecclesiæ Theologo nostro repugnant. 69

§.XI.

§. XI. Neque ex verbis, neque ex factis Cypriani oppositæ sententiæ robur conciliatur. 2. Qualcunque honoris significationes Clero suo SS. Martyr exhibuit, non jus imperavit, sed singularis illius caritas, & animi demissio postularunt. 3. Ex his quæ habet Cyprianus in causa Lapsorum nihil contra nos. 4. Refelluntur quæ Theologus noster contra superius posita declamat. 73

§. XII. Contestatio Cleri Rom. cum Carthaginiensi nihil pro asserto a Theologo nostro Presbyterorum jure evincit. 2. In condemnatione Samosateni ut Antiochenorum zelum Presbyterorum suspicimus, & prædicamus, sic nullam horum jurisdictionem, refragante Theologo nostro, agnoscimus. 85

§. XIII. Solvuntur quæ ex Ephesina Synodo Theologus noster pro suscepta causa deducit. 2. Item quæ ex duobus Eusebii Cæsar. monumentis. 3. Theologus noster eo quo non debet, progreditur. 4. Neque Hilarius, neque magnus Basilius ei suffragantur. 89

§. XIV. Ex Chrysostomo, & Hieronymo non invictum pro assertis Presbyterorum juribus argumentum depromitur. 97

§. XV. Ambros., & Augustin. non adstipulantur sententiæ Theologi nostri. 2. Frustra hic nititur in suas partes trahere Auctorem QQ. Vet. ac Nov. Testam. 3. Nullum ex Opusc. de 7. Grad. ejus causæ robur accedit. 107

§. XVI. Leo M. Gregorius item M. sententiæ nostræ non adversantur. De sensu egregii D. Isidori Hispal. 3. De ceteris testibus a Theo-

Theologo noſtro conglobatim productis. 111

§. XVII. Concilia ex quibus momenta pro ſuſcepta cauſa Theologus noſter depromit, nobis non adverſantur. 2. De Con. Eliberitano. 3. Tum de Arelatenſi. 4. Exponitur ſenſus Synodi Laodicenæ. 117

§. XVIII. Magnam Nicænam Synodum fruſtra in ſuas partes trahere conatur Theologus noſter. 2. Judicium Alexandrini Conc. Nicæna Synodus probans, non probat ſententiam Theologi noſtri. 3. Occaſione Alexandrini Conc. agitur de forma veterum Conciliorum, & iterum oſtenditur nunquam ſimplices Presbyteros in his fuiſſe judices controverſiarum Fidei. 4. Diluuntur quæ Theologus noſter affert ex Conc. Chalcedonenſi. 123

§. XIX. Antiocheni Canones indigni qui vocentur in ſubſidium a Theologo noſtro. 2. Quomodo dicantur probati a Chalcedonenſi. 3. Indignamur Theologo noſtro commentarium edenti in quartum Satanici illius Conventiculi Canonem. 133

§. XX. Rurſus de Magno Nicæno Concilio. 2. Theologi noſtri non ferenda hallucinatio. 3. Senſus Sardicenſis Conc. 4. An jure exultet Noſter in Africanis Conciliis. 5. An recte ex Chalcedon. argumentetur. 136

§. XXI. Monumenta ab Eccleſia Rom. deprompta Theologo noſtro non ſuffragantur. 2. De judicio Syricii Papæ contra Jovinianum. 3. Quo ſenſu Felix Papa dixerit Apoſtolicum Thronum teneri a ſe, & ab his qui ſecum erant. 4. Acclamationes in ſequio-

ris

ris ævi Conciliis usurpatæ nil oppositæ nobis sententiæ roboris addunt. 5. Discutitur Anastasii narratiuncula de vi pene illata Eugenio I. 145

§. XXII. Turonensis Synodi insaniam perperam invocat Theologus noster. 2. Parisiensis IV. Imbecillitas quoad idipsum. 3. De Conc. Vernensi, Brachar. I. & Tolet. IV. Demonstratur hoc ultimum ad rem nostram facere, & ex hoc amplius patere quomodo Œcumenica Concilia Presbyteros admiserint. 4. De Presbyteris in partes Episcopi absentis, vel mortui vocatis. 156

IN SECUNDAM PARTEM LIBRI THEOLOGI NOSTRI.

§. I. Theologus noster egregie candidus jacit fundamenta Parochialis dignitatis. 2. Solo nomine a nobis discrepat. 3. Ejus dexteritas in vetustis perquirendis Monumentis. 4. Omnia quæ colligit in Parochorum amplitudinem quadrant. 5. Pauca quædam de Parochorum dignitate. 161

§. II. A recta, in quam se dederat, via incipit deflectere Theologus noster. 2. Dignitas Capitulorum quibus Animarum cura adnexa est. 3. Injustissimam causam suscipit propugnandam Theologus noster. 4. Nonnulla hanc in rem. 172

§. III. Inquiritur in illa Collegia, seu Capitula tempore communionis initæ, & distractæ, in quæ Theologus noster vetusti Presbyterii jura contendit transfusa. 2. Quænam Cleri con-

conjunctio cum Episcopo Præsbyterium constituerit. 181
§. IV. Discutitur horrenda propositio Theologi nostri. 2. Opponitur illa omni juri. 189
§. V. Infirma sunt, quæ ex Hincmaro Rhemensi profert Theologus noster. 2. Ex Aldrici Episcopi Senon. & Gerardi Cadur. factis inaniter argumentatur Theologus noster. 192
§. VI. Quæ Theologus noster urget ex Episcopis agentibus cum Congregatione Cleri, Parochorum causam juvant. 2. Episcopi qui instar Monasteriorum Diœcesim gubernabant, hic non incommodant. 3. Quacumque ex parte in antiqui, vel medii ævi monumenta oculos conjicias, semper victrix Parochorum causa. 199
§. VII. Theologus noster ducibus, ut ipse arbitratur, Paschale II. & Callixto II. in quæstionis arcem invadit. 2. Maximum in Alexandrina Constit. sibi præsidium constituit. 3. Evertitur ab imo præsidium illud. 4. Paschale II. & Callixti II. germanus sensus. 208
§. VIII. Burdigalensis Con. sanctio non confirmat sententiam Theologi nostri. 2. Pientissimi Card. Poli judicium quomodo, & de quibus Canonicis intelligendum. 213
§. IX. An Capitulo sit aliquod jus in præmiorum largitione. 2. Justissime deventum ad Praxim quæ nunc obtinet. 3. Mira confidentia Theologi nostri, dum in collatione Beneficiorum quibus Animarum cura est adnexa, Capituli urget potestatem. 217
§.X.

§. X. Perperam Theologus noster Clerum, de quo in inflictione pœnarum jura meminere, ad solos Canonicos coarctat. 2. Rursus ex spiritu Ecclesiæ, & ineluctabili ratione evincitur Parochos longe eminere supra Canonicos. 3. Præscriptionibus inter se pugnantes Episcopi, & Canonici satis declarant quantum fuerit a pristina caritate discessum, & quanta exinde Parochorum gloria. 224

§. XI. Quæcumque splendida, & magna de Canonicis prædicat Theologus noster, Tridentini auctoritate exsufflantur. 2. Luculentius Parochorum dignitas hic se prodit. 231

§. XII. Theologus noster egregius sui ipsius confutator. 2. Occasione Synodorum, de quibus late hic Theologus noster, demonstratur quanta se circumvenerint censura Canonici, dum Animarum curam abjecerunt; idque ratione, & Tridentini auctoritate evidentissime evincitur. Quanta Parochis horum consideratione dignitatis accessio. 236

§. XIII. Injecta Vicarii Capitularis mentione, inquiritur an ex hac electione, decantata illa Capitulorum jura firmentur. Adimitur larva, & sola dominabitur bilthri. 243

§. XIV. Canones qui Theologo nostro meminisse sunt visi de consensu, vel consilio Canonicorum in Ecclesiastico regimine, non id intendunt quod ipse contendit. 247

§. XV. Castigatur licentia cujusdam Veteratoris indignis modis Assisios excipientis. 2. Injustissime his aditum ad Canonicatum præcludi. 3. Demonstatur omni momentorum genere, hos ceteris paribus, præferendos

in ascensu ad Canonicatum. 4. Florentissimus hodie Assisiorum Cathedralis Aversanæ status s. R. D. Bernardi Carobene Assisii elogium. 256

IN TERTIAM PARTEM LIBRI THEOLOGI NOSTRI.

Lugubris lamentatio, fletusque mærens super constitutione, ac statu RR. Capituli Aversani. 177

Excitatorium ad Parochos Urbanos. 297

Responsiones ad Appendicem Theologi nostri. 299

LECTORI

LECTORI SI QUIS ERIT.



TSi fama de Canonico Theologo Cathedralis Aversanæ Ecclesiæ D. VINCENTIO PESCE propter & ejus egregiam doctrinam, qua præstat universos, & singularem probitatem, cujus edidit luculentissimas significationes, & pietatem maximam, & præclarum studium, & religionem admirandam in Re Catholica propugnanda longe lateque diffusa percrebuerit; Is tamen editione illius Opusculi, in quo Canonicorum Cathedralium jura, ac munera purioris Latinitatis elegantia mirifice recenset, effecit illud profecto, ut sibi non mediocriter detraxerit, & quod mihi maximopere displicet, apud omnem Clerum non parum offendisse videatur. Ecquis enim non videat quantum exinde præsidii magnus ille Vir desperatæ Jansenistarum causæ conciliet, qua vi disjectæ illorum molitiones reviviscant, & quantum Ecclesiæ ex tam diuturno bello respiranti certamen integrascat? Res nulli ignotas invadimus. Propositum fuit perduellibus illis omne Ecclesiæ regimen evertere; hoc ut assequerentur callidissimi veteratores, Pontificiam potestatem cum Episcopali commiserunt; hanc inde per objecta jura Presbyterorum secundi ordinis (Parochos vocant) veluti per cuniculos quosdam labefactare studuerunt.

Id aggressus est in primis anno 1676. insignis

Jansenii propugnator Jacobus Boileau Doct. Sorbonicus edito Opere sub larvato Claudii Fonteji nomine DE ANTIQUO JURE PRESBYTERORUM. (Utinam virulentum illud Opusculum in manus Theologi nostri non incidisset!) Magnus exinde animus Jansenianis, Saxum hoc strenue volvere identidem non desistere. Quid consilii ceperint in tenebricosis illis suis conventibus cui nostrum latet? Acerrime pugnatum est. Jansenistas innumeris undique editis voluminibus Catholici obruere. Asserta illa jura omnino commentitia, & ab conscelerata mente procusa, manifesto falsi crimine notata sunt. Pontificiæ Majestatis robur accessit, & luculentissima Pii VI. Bulla AUCTOREM FIDEI anno 1794. num. X. tumultuoso negotio finem imposuit; Presbyteros illos in ordinem redegit; hinc etiam atque etiam admiramur doctissimum Nostrum illo proclinata jam re progressum, qua etiam integra, progrediendum illi non fuisset.

Sed quorsum hæc omnia? Fortassis ego credam Clarissimum Scriptorem ita male animatum, ut ierit in alia omnia a Christiana Catholica veritate, aut partes teneat heterodoxas? Nequaquam. Is enim non sum perditissimus, qui talem personam velim impositam viro pientissimo, quique suspicer hunc pravum animum illum ad scribendum attulisse. Absit quam longissime a tanto Theologo injustissima hujusmodi criminatio. Discrucior tamen animi, & acerbissime affligor hoc illum arripuisse argumentum ex quo non male fortasse pertractato, sed perperam potius intellecto, rudioribus, atque imperitioribus nostri ævi hominibus ansa præberetur non adeo

recte

recte, quod ad quasdam Theologicas veritates attinet, opinandi.

Sed fuerit is fortasse suspiciosi, & prave timentis animi mei motus. Nihil in publica commoda derivetur incommodi ex iis sapientissimi Theologi nostri lucubrationibus. Age tamen, e re fuit in his quisquiliis, & ad nauseam usque fastidiosis laboriosam operam collocare? Pro ingenium illud immortalitate dignissimum! memoriam {tam multiplici pulcherrimarum cognitionum ubertate refertam in argumento levidensi, & quod satius fuisset indictum omnino relinqui, tanto molimine fatigari! Quam gratiam, quam utilitatem ex hoc labore est collecturus? Profecto occentares illud: *cui bono hoc Opus?* Nimirum liberrime dicam: defuit sane spei, & expectationi nostræ doctissimus Theologus, nec suæ famæ satis consuluisse videtur, dum coloribus aliorum, licet penicillo suo, odiosam, sed mutata facie, nobis imaginem expingit.

Parochos, ut Episcoporum infringerent potestatem Jansenistæ, ad cælum usque extulerant; his sacratiora jura illorum fecerant communia, adeo ut Episcopos, & Parochos pares quodammodo esse arbitrarentur. Id vero quo consilio factum sit, nemo unus ignorat. At aliquam saltem justitiæ speciem injustissimæ contentioni apud imperitam plebeculam afferre videbatur non vulgaris Parochorum auctoritas. Clamabatur ad ravim usque, hos in sollicitudinis Pastoralis partem vocatos; egregia 72. Discipulorum institutione commendatos; doctores in Israel constitutos; quibus invidendo decore, & sacræ doctrinæ depositum, & Sacramentorum administratio fuerint

 con-

concredita. Ast de Canonicis tum apud plebem, tum apud Jansenii symmystas altum silentium. Sane persentiscunt omnes ipsum Canonicatus beneficium, tamquam simplex, Canonicos præ Parochis duplici beneficio potitis, longissime diminuere. Scilicet persentiscunt omnes ea, quæ Theologus noster noluit persentiscere.

Hic ecce novo sententiæ commento, tristi in Parochos inflicta censura, hos Canonicis subjicit. Quid enim aliud sibi vult, dum constanter affirmat: *vetusti Presbyterii jura in solos Cathedralis Ecclesiæ Canonicos transfusa, & hos licet* (sunt ejus verba) *animarum curandarum onere peculiari levati fuerint, adhuc tamen Parœciarum totius Diœceseos eminenti quadam, ac generali sollicitudine, ac regimine, eo nimirum, quo Episcopus ipse tenetur, una cum Eo ex vi sui ministerii obstrictos, devinctosque esse.*

Multa peccat Theologus noster: Primo Ecclesiastici regiminis formam strenue per Italos præsertim Scriptores propugnatam evertit. Præterea injuriosum se Episcopali exhibet auctoritati, hanc inertibus, & desidiosis Canonicorum cancellis circumscribens. Deinde crudele servitium Parochis indicit; & tandem ut, quod sentio, libere expromam, nescio quomodo ab illius Opusculi lectione fervor ille caritatis, qua in nostros Præpositos flagrare debemus, deferveat; diffidentiæ quidam torpor obrepat, ut quamvis submissius se gerant, qui Superiores sunt, non facile pacatum ad eos animum afferamus.

Verum hæc ii, quorum interest, videant. Nihil exiguitate mea Episcopis opus est. Parochorum me excitat causa, quam Opusculo illo non me-

mediocriter vulneratam graviter fero, & debitum erga Confratres meos officii munus, quæve pro illis ſtat ſumma ratio, me in tanto eorum diſcrimine tacere non ſinunt. Brevitati tamen ſtudebo, ne Lectorum, ſi qui erunt, patientia videar abuti; chartæ quoque, ac atramenti, quorum ingens nunc pretium, ne multa ſit jactura; neque piperis, vel ſalſamentorum involvendorum officinis, ampla per meas chartas copia ſuppeditetur.

SCOPUS

HUIUS OPUSCULI.

NUnquam affirmaverim Episcopum quantavis prudentia polleat, & scientiam habeat sicut Angelus Domini, in arduo suo munere nullius egere consilio. Is non ferendus superbiæ tumor errare sinet illum, & in abrupta quævis miserrime dejiciet. Nunquam inficiabor fieri posse, ut inter Cathedralis Ecclesiæ Canonicos deprehendantur quamplures purissimi consilii Sacerdotes, quos cum necessitas ingruit, vel implicatius aliquod urget negotium, non consulere, summum esset in Episcopo nefas. Quod quæritur, est: An Canonici vi gradus sui decantatum illud conflent Presbyterium, penes quod sit celeberrimum jus una cum Episcopo pascendi gregem: omniumque Ecclesiarum, quæ in Episcopali Diœcesi continentur, una cum Episcopo curam gerendi: non libere, sed necessario hi debeant Episcopo a consiliis adesse, ut nihil sine horum oraculo Episcopus aggredi possit: ne quid iste suscipiat, nisi observator mirificus exploret, quid tinniant illi. Hæc toto Opusculo propugnat Theologus noster.

A quo tamen nos in aliam sententiam discedentes, ut Parochos & munere, & dignitate Canonicis antecellere autumamus, ita quicquid affert ille, & Capitulis affingit Cathedralibus, proprio jure Parochis, & vindicamus, & adscribimus, & adjudicamus. Imo si vetusti illius Presbyterii jura, debita tamen moderatione accepta, rata velimus haberi, hæc in Parochos urbanos

trans-

transfusa contendimus. Tamquam quid monstri horremus ineptum illum Theologastrum, qui Parochos sub Canonicorum censura constringit, vel quid juris in illos Canonicis tribuit. Arbitramur Episcopum, si sapere velit, a Parochis potius, quam a Canonicis consilia in suæ Diœcesis regimine exquirere debere, cum firma juris, & de jure præsumtio pro Parochis pugnet, quos eadem Pastoralis sollicitudo, & longo usu comparata impeditissimæ illius Provinciæ, scilicet animarum curæ cognitio, aptos reddit, qui Episcopo utilem operam in tot, tantisque ambagibus queant navare.

Hæc ita sunt profecto, atque ita esse, luce clarius ostendam. Interim Lectorem oro, ne commodiorem desideret ordinem in hac elucubratiuncula. Cogor enim vestigiis ejus insistere, qui me ad scribendum impulit. Quamobrem, ut parcat, oro, si non videbor interdum a confusione remotus, vel scrupulosius, & pressius minuta quædam, magna vero strictim, & properante calamo persequar; necesse est mihi, ut Magistrum, & Doctorem meum Canonicum tanquam pedissequus adjunctus æquis passibus assecter. Optassem, ut Capitibus, Numeris, & Paragraphis doctissimus Vir suum Opus distinxisset, nec in obcæcatum splendore eloquentiæ suæ Lectorem toto simul agmine irruisset. At hoc si in illo laudabile, in me certe non ferendum; nam inconditus, & illiberalis stylus, vilis, & confusa eruditio mea aliud consilium me cogunt inire. Indicabo quoque paginas, ut nostra cum suis facile queant conferri.

DI-

DISCUTITUR PRÆFATIO

CLARISSIMI THEOLOGI NOSTRI.

ELegantiarum pleniſſima Theologi noſtri Præfatio veritatis amatoribus eſſet fortaſſe minus gravis, ſi Canonicis (ut Canonici ſunt) longe remotis, in Presbyteris, vel ſaltem Parochis jura illa ſe perſequuturum ediceret. Quod enim ibi Noſter maledictum vehemens exiſtimat, Canonicorum ſcilicet munia, anguſtiſſimis Odei, quo, divinas celebraturi laudes conveniunt, finibus definiri; id maxime verum juſti rerum æſtimatores arbitrantur, qui Canonicorum nullas alias partes agnoſcunt, niſi divinam pſalmodiam. Fatentur autem, idque exploratiſſimum eſt, Eccleſiaſticum Ordinem non otii locum eſſe, ſed operis, ſed laboris. In aliorum commodum, in Populi utilitatem, ac ſalutem incumbere, non ſibi vivere oportere, qui Eccleſiaſticæ militiæ ſemel nomen dederit, & Sacrorum Librorum auctoritas, veneranda Traditio, ac Sacerdotii natura diſertiſſime clamant.

Hæc Theologus noſter ad Canonicos, ut Canonici ſunt, detorquens, mirum eſt, quantum a ſcopo aberret; & quod magis mirandum, obſtupeſcit verbis Guillelmi Pariſienſis, quaſi excelſi quid & longe ſupra cuncta Sacerdotii decora, quid eximii attuliſſet ille dicens: *Canonicatus nomen eſt, Officii, Operis, & Militiæ Clericalis*. Nunquid Pſaltes, Oſtiarius, Lector non eſt nomen Officii, Operis, & Militiæ Clericalis? An nihil omnino laboris, & operis in illo publico

Ho-

Horarum penso? Vel aurigas, tonsores, coquos in Chorum compellemus, ut dici exinde nequeat Canonicatum Militiæ Clericalis nomen esse?

Quid si clarissimus Scriptor in hac prima, quam versamus, pagella, his mirifice consentientia intermiscet? Queritur multos ea scientia, iisque dotibus, quibus esse debent instructi, qui ad Canonicatum evehuntur, destitutos, inhiare Canonicatibus, cursitare per Regia Tribunalia &c. Et ad calamitatis cumulum addit: *Alterum* (incommodum) *nec minus grave, quod si quis forte ea Sapientia, quæ Ecclesiæ desiderio respondeat præditus, in Collegium adsciscatur, nihil aliud ab se expeti demum præter Domini Officii recitationem putans, ignavam, ac prorsus desidiosam vitæ rationem instituat.*

Dic sodes, si præditus ea scientia, quæ Ecclesiæ desiderio respondeat, Canonicatu potitur, quomodo putare poterit nil aliud a se expeti præter Divini Officii recitationem? Ἀδύνατος error, cum scientia ab Ecclesia requisita ab illo amandet hunc errorem, & Canonicum illum muneris sui faciat certiorem. Peccat ergo non ignorantia scilicet *putans*, sed malitia, dum sciens ea, quæ muneris sui sunt, desidiosus omittit, ac negligit.

Quamobrem hac in re dicerem, quod vis ipsa veritatis manum duxerit Scriptoris, ipso fortasso non advertente; sitque firmissime tenendum scientiam, quæ respondeat desiderio Ecclesiæ, requisitam in illo, qui ad Canonicatum evehitur, id tantum poscere ab eo, ut putet se, ut Canonicum (non loquor hic de Sacerdote) vi Canonicatus ad aliud non teneri, nisi ad Divini Officii recitatio-

nem.

nem. Idipsum celeberrimo Canonistæ Van-Espen, qui tam multa pro Canonicis scriptitaverat, contigisse infra videbimus. Vide quanti sit veritas!

At hanc tantam veritatem Canonicalium Jurium vindex audacissimus non agnovit; immo illam dissimulavit; atque hoc suum propositum, quo facilius assequeretur, causam statuit speciosam faciendam per verba phalerata; nimirum in ipso exordio gloriatus est Canonicorum cœtum frequentissime *Senatum* Episcopi nominari: quo perhonorifico nomine, tanquam præjudicata quadam sententia, victricem tenuit causam Canonicorum.

Hem! Quid ad tanti nominis claritatem misselli Parochi poterunt hiscere? Si Canonici Senatum conflant, scribe eos inter capite censos, aut inter lixas, calones, non tamen inter proletarios, & immortalem gratiam habebunt.

Verum quo digredior? Præsertim cum tanta dignitas Senatus non finat, ut evager animo, atque illam obliviscar. Augusta vox illa. Nil mirum si tantum de illa sibi placeat Tractator noster. Invaluit illa jam dudum non solum apud primi subsellii Doctores, sed & Oecumenici Concilii, & Summorum Pontificum est auctoritate probata.

Dicimus & ipsi Canonicos Episcopi Senatum. Sed qualis sit hic Senatus, dispiciamus oportet. Nec menti obversetur imperiosa illa prisci Senatus stante Republica florentis conditio, quem vel projectæ adulationis vitio, vel ex animi sensu *cœtum Regum* quidam dicere non dubitavit. Novimus qualem Roma habuerit extincta libertate Senatum, cum Triumviri primum, Impera-

ratores deinde, postremo Reges, & Tyranni potiti sunt rerum. Tunc magni nominis umbra Senatus. In ipso labefactatæ per civiles discordias libertatis exordio, *mancipiorum gregem* Senatum dixit Cato. An non ludibrium Senatus cum non rogarentur Patres sententiam magnifica illa formula VELITIS, JUBEATIS, sed tristibus illis verbis, VELITIS, NOLITIS, jussa accipiebant?

Equidem dum video Senatores juribus omnibus per Imperatores spoliatos, novis tamen insignibus auctos, dum virgatas, vel acu pictas vestes, secures quoque lauro decoras cerno, menti occurrit Capitulorum quorundam animarum cura privatorum conditio. Vidi huc transmeantes agrestes, & montanos quosdam Canonicos vultu quidem horridulos; ast papæ! Quantum splendidus erat illis corporis ornatus! Pileati purpureo prægrandi flocco spectabiles, sericati, majoris pondera gemmæ digitis aptabant; vidi tibialia plurimo candenti minio rubentia. Apparitoribus præfectorum Urbis nostræ invidisse eos putavi. Vidi auratas in calceis fibulas gregariorum more militum. Hos si salutatum venisset Varro, *bellos homines* jure nuncupasset.

Hæc ipse cernens totus ferebar in admirationem, & præconia Canonicorum Cathedralis nostræ Aversanæ, ac simul etiam gratias immortales agebam Deo nostro, qui talem illis publico bono mentem indiderit. Horum modestia, ut edicit Apostolus, Deo nota est, & hominibus. Hi, ut virtutum omnium exemplo cunctis prælucent, sic habitus honestate, ac decentia consonam sacris Canonibus, & Synodalibus constitutionibus in cultu, & vestitu Clero universo egregiam for-

mam

mam indicunt. Nec nisi ingrato silentio prætereunda est ipsorum humanitas, & effusa in Parocos honoris, comitatis, & benevolentiæ specimina, ut mirum non sit, si Parochi non desinant omnibus officiis illos colere, revereri, diligere, & permagni æstimare.

Verum his omissis, dicimus iterum Canonicos esse Senatum Episcopi. Quærimus solum naturane sua, an Episcopi indulgentia? Si hoc postremum, nihil ad rem: quandoquidem poterit Episcopus alios Sacerdotes non Canonicos in consilium sibi adsciscere. Si primum cur Bonifacius VIII. cap. NON EST 3. de Consuet. in 6. decernit: *NON ESSE reprobandam consuetudinem, quam allegat Episcopus, quod in inquirendis, puniendis, & corrigendis subditorum excessibus consilium sui Capituli requirere minime teneatur?*

Audisti ne verba Bonifaciana? Ex quibus quid colligam? Nonne illud? Ex indulgentia, vel (ut minus latine dicam) ex beneplacito Episcoporum in consilium Canonicos adhiberi? Itaut consuescere possint, cum non teneantur Episcopi, Canonicos in consilium non adhibere, quæ tamen consuetudo non improbatur a textu, tamquam corruptela; at reprobaretur, ut corruptela, si sacris institutis adversaretur; cujusmodi consuetudines reprobantur in cap. CONSUETUDO, & seqq. Dist. II. Atque in cap. NON PUTAMUS idem Bonifacius reprobat *Consuetudinem quantocumque tempore de facto servatam, quod ab Officiali Episcopi ad eundem Episcopum valeat appellari*. Cur quæso? Scilicet quod sit idem adjutorium utriusque. At quo jure hoc statutum? Canonico.

Ergo sic habe: Canonicos esse Senatum Episco-

scopi, quia optat Ecclesia non nisi probitate, & doctrina conspicuos in illud Collegium adlegi, ut eorum consiliis possit in arduo munere suo Episcopus uti, quod rationi, & utilitati quoque Populorum apprime consentaneum est; non autem quod sit aliquid juris ipsis cooptatione illa in album Capituli quæsitum; quod ex mente, & verbis ipsius Tridentini luculentissime suo loco demonstrabimus; ac proinde si inflatis buccis, & ad ravim usque Canonistæ, interque eos Van-Espen, urgent, & instant Canonicos esse Senatum Episcopi, id accipiendum eo, quem exposuimus, sensu, qui nihil susceptam causam juvat, præsertim cum SS. PP. & Concilia, Scriptoresque omnes eandem probitatem, & scientiam postulent ab omnibus, qui ad Sacerdotium sunt promovendi; & Canonici simpliciter ut Canonici, *ad hoc sunt instituti*, verba sunt ipsius Van Espen Par. III. De Inst. Canonic. Cap. II. *hocque eorum est officium, ut Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudent*. Sed molestum Senatum, in quo non pulcherrime stamus, tandem relinquamus.

Quod autem in fine Lectores monet, ac *sincere protestatur* clarissimus Auctor, *non eo se consilio ad scriptionem animum appulisse, uti aliquid de Episcoporum dignitate, aut juribus detractum ulla ex parte velit*, officiosissime quidem facit, illique sine juramento hæc asserenti boni Præsules fidem habebunt. Optamus, ne in furentem aliquem incidat Prælatum, qui sibi his illudi minime patietur. At de præfatione satis, nunc rem ipsam, Deo bene juvante, aggrediamur.

Tres

Tres in Partes Opus ſuum diſtribuit clariſſimus Theologus noſter.

PARS PRIMA

INSCRIBITUR

MUNERA, AC JURA VETERIS PRESBYTERII.

§. I.

SUMMARIUM.

1. *Theologus noſter, dum Canonicorum cauſam agit, illam prodit.*
2. *Parochi conſtarunt Presbyterium illud, pro quo ipſe pugnat.*
3. *An Epiſcopi, & Presbyteri cognomines olim fuerint.*
4. *Solvitur objectio ex epiſtola ad Philippenſes.*
5. *Item ex Act. App.*

A pag. 3. ad *6*.

1. VEl inſignis bucco, imo ſtipes, lapis, & quidvis aliud, quam homo ego ſum, qui nihil ſapiam; vel egregius prævaricator eſt Theologus noſter, qui Canonicorum, quam tuendam ſuſceperat, cauſam prodit in hac Prima Parte, quam Parochorum apologiam jure inſcribere poſſes. Profecto ſi mihi vires

ad aliquid conandum pro Parochialis Gradus commendatione satis essent, libenter Plagiarius audirem, & hanc totam, quanta est, pauculis detractis, in meas chartas transferrem, certus firmiori, & altiori fundamento futurum ædificium non posse construi. Ecquis eorum, qui in Canonicatus fastigio (summus is vulgo honoris apex) collocatus oculos in Librum hunc intendens, novæ spei velificaturus animum non contrahet, seque mœrori non dabit, dum Theologum nostrum, qui acrius & studiosius Canoniçorum, quales apud nos sunt, susceperat jura tractanda, deprehendet nil aliud revera tanto molimine agere, quam in Parochorum dignitatem augendam naviter ac diligenter incumbere.

Certe si ut ex his, quæ tractator egregius in toto suo Opusculo abunde congerit, apertissime colligitur in eo maxime versari Sacerdotii amplitudinem, ut Redemtionis opus per summum Sacerdotem feliciter confectum in animarum commodum utilitatemque derivet; ecquis inficiabitur inter secundi Ordinis Sacerdotes primum locum in tanto munere eos habere, qui in partem sollicitudinis vocati, summis Sacerdotibus manus porrigunt auxiliatrices? Qui custodientes vigilias noctis rationem de creditis ovibus reddituri, sacramentorum administratione, sacræ doctrinæ pabulo, omnibusque pietatis officiis, animarum saluti prospiciunt. Quique per asperrima quæque & difficillima viarum strenuitate maxima ingredientes numquam muneri suo satis factum putant, nisi animam suam pro tradito sibi grege libentissime posuerint.

His ita sese habentibus, dubitet sane, qui dubitare velit, ipse enim non modo non dubitem,

sed

ſed Parochorum magnitudinem in ipſo diſputationis veſtibulo habeam exploratam. Contra ea rem minime e ſententia fluere ſentient Canonici noſtri, ſeque concepta peropportuni ſubſidii ſpe fruſtratos vehementer indoleſcent, graviſſimeque de patrono conquerentur, qui datam non exolvat iis fidem, neque probet ea, quæ in fronte ſui Libri liberrime inſcripſit.

2. Quos vero multo magis queribundos audierim, cum ex hac veritate, quam modo propoſui, viderint illud neceſſarium emergere conſectarium, nimirum Eccleſiaſticos, quos Parochos dicimus, conflaſſe Presbyterium illud, de quo agimus, & de quibus Ignatius ad Trall. ſcribebat, eſſe *conſiliarios Epiſcopi, illi aſſidere, & in Senatus Apoſtolici locum ſucceſſiſſe*. Hinc Thomasin. Par. I. Lib. III. Cap. 7. num. 8. recenſens diſcrimina antiquiſſimi illius Cleri, & hodiernorum Capitulorum, ait: *Non conſtabat Clerus ille, niſi Presbyteris, & Diaconis, ſed hi Presbyteri, & Diaconi Parochi ipſi erant, & Paſtores omnium civitatis Eccleſiarum, aut ſi necdum eſſent divulſæ a Cathedrali Parochiæ, in ea ipſi Parochorum omnia munia implebant*. Sed de hoc commodius infra redibit ſermo, ubi evidentiſſime demonſtrabimus eos, qui pro veteris Presbyterii juribus pugnant, pro Parochorum dignitate pugnare.

Quæ cum ita ſint, optarem ſtare poſſe quæcumque in illius Presbyterii commendationem in hac Prima Parte Theologus noſter, & diligenter colligit, & ingenioſe confirmat. Quid enim optatius, quid jucundius mihi Parocho contingere poſſet, quam Parochorum jura tueri, illorumque infeliciſſimam his temporibus conditionem hoc perop-

portuno auxilio relevare, & nativæ claritatis egregio de illis decore commemorato & asserto, ipsos a communi contemtione, & despicientia vindicare? Auderem & nonnihil in hoc ipse. Video tamen magni nominis Theologos in alia omnia discedere. Hi commoda interpretatione quæcumque magna de Presbyteris illis Concilia, & Scriptores afferunt, ad voluntarias Episcoporum concessiones revocant. Video istos in illam caritatem, cujus glutino adolescentis Ecclesiæ temporibus Episcopis Presbyteri copulabantur, cuncta refundere, aliamque de Episcopatu efformare, & nobis exhibere imaginem.

Quamobrem sic statuo, nihil opus nos habere clarissima illa, quam non contemnendi Doctores in Parochis agnoverunt, primigenia divina origine, ut perveniamus, quo volumus, cum ipsa qualiscumque tandem sit Parochorum natura suo sibi hoc vindicet jure, ut sint illi Episcopis consiliorum si non auctores, at certe participes, at sollicitudinum socii, ac omni cogitatione conjuncti. Si hoc unum postulem, æquum postulare videbor.

Strenue ingreditur Theologus noster, & posita Episcopatus, & Presbyterii divina origine, & missione, subdit: *Utriusque Ordinis Sacerdotes ab ipsis Ecclesiæ incunabulis iisdem plane nominibus in Novi Testamenti paginis honestari, ut vicissim Presbyteri nomen Episcopis, & Episcopi Presbyteris passim adscribatur.*

3. Verum qui adversantur, concedunt Episcopos nomine Presbyterorum nuncupatos fuisse, idque extra dubitationis aleam positum. At Episcopi nomen fuisse Presbyteris tributum prorsus denegant,

gant, adjiciuntque maximum hæc inter duo discrimen intercedere. Siquidem cum sunt variæ species, seu partes, quæ uni subjiciuntur generi, omnium linguarum est usu receptum, ut nomen Generis evadat proprium illarum partium inferiorum sine detrimento tamen partium superiorum, quibus Genus ipsum aptatur. At neque usus, neque ratio patitur, ut nomen proprium speciei superioris inferiori aptetur. Exemplis res patebit. Sub nomine generali *Clericatus* intelliguntur etiam Sacerdotes. At eum, qui Clericus est, appellabis Sacerdotem? nullo modo. Adde: Duces, Tribuni, Imperatores exercitus magno sibi ducunt honori *Militum* se nomine nuncupare: *Commilitones enim suos, dum ad eos verba faciunt, summi Duces apud elegantissimos Historicos vocant ipsos gregarios milites; at feremus gregarium militem Imperatoris se nomine nuncupantem?* Ex his inferunt Adversarii nostri nil ad Presbyterorum excellentiam extundi ex eo, quod Episcopi Presbyterorum nomine inveniantur vocati.

At præfracte negant Presbyteros quandoque nomine Episcoporum expressos. Præsentit id clarissimus Theologus noster, & sollerter occurrit. Nam profert duo Scripturarum testimonia, quibus nullum de assertione sua ambigendi locum confidit relinquendum. Etenim arripit Epistolam ad Philip. *cujus,* inquit,*ipsa inscriptio fidem faciet non licere impune aliter sentire*. *Ea autem sic se habet*: Paullus, & Timotheus... omnibus Sanctis, qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconibus. *Quinam quæso hi Episcopi? Nunquid Philippensium Ecclesiæ fuerunt plures Episcopi contra Apostolicos, & Nicanos Canones?* Refellit deinde illos, qui

qui finitimarum Regionum Episcopos hîc *indicari* autumant. Tandem præcludit effugium ajentibus id factum, quia vicinarum civitatum Episcopis epistola illa debebat communicari.

4. At advertere poterat Clarissimus Vir, Episcopos illos fuisse Presbyteros, Episcopali Ordine insignitos, quos & Apostolos, & Evangelistas nuncupatos legimus. Sic enim nascentis Ecclesiæ exordia postulabant. Cum enim Religio Christiana progressionem in dies faceret, perque civitates, & populos propagaretur, increbrescente multitudine opus fuit paratam esse copiam Episcoporum, qui ad Urbes, & Provincias Christiano partas nomini cum potestate mitterentur, ut ea, quæ ab solis Episcopis administrabantur, præstare possent, cujusmodi sunt Clericorum Ordinatio, Confirmationis Sacramentum, & alia quædam, quæ simplices Presbyteri non attingebant.

Hac de causa videntur plures in eadem Ecclesia, velut Ephesina, Episcopi fuisse, qui Apostolis tanquam majoris gradus Pontificibus, atque adeo summis obsequebantur. Sic Petavius Lib. I. Cap. II. de Episcoporum dignitate, cui consonat Thomassinus Par. I. Lib.I. Cap.I. *Apostolos*, sunt ejus verba, *aut semper, aut frequentissime, quibus Presbyteratus Ordinem largiebantur, eosdem Episcopalibus insignibus exornasse*. Pulcherrima sunt, quæ ipse in hanc sententiam adducit. Observat namque Apostolos non temere id factitasse; imitati sunt enim recentissima Christi exempla, qui simul, & semel Apostolatum contulerat illis, cui indivulsis nexibus, & Presbyterii, & Episcopatus tota potestas conserta erat; tum quoque quia Presbyteri illi zelo, spiritu, ac sanctimonia vere

Apo-

Apoſtolica fulgebant, ut mirandum non ſit, ſi eorum ordinatio ordinationem Apoſtolorum propius æmularetur.

Et hoc breviſſimo Compendio Apoſtoli Eccleſiæ fines latiſſime proferebant. Hinc conſulto Paullus Tito præcipiebat *conſtitui per Civitates Presbyteros*, qui Presbyteri Epiſcopali clarebant ordine; nec erant præfigendi limites horum Presbyterorum poteſtati, & juriſdictioni, quorum zelus, & caritas ultra limites efferebatur. Vide Thom. ubi ſupra.

Hæc autem omnia tum ſimplices recens ortæ mores Eccleſiæ ferebant, nondum ambitione, & cupiditate, maliſque ceteris artibus depravatis Chriſtianorum animis. Poſteaquam vero priſtina illa caritas, & imitandi Chriſti, amplectendæque modeſtiæ & humilitatis refrixit amor, tum quod Hieronymus ſcribit, ad tollendas ſimultates, & in Schismatis remedium placuit, ut unus aliquis e turba Presbyterorum eligeretur, qui præeſſet reliquis, atque ita deſiere pari non ſolum dignitate, ſed etiam ordine, ac poteſtate plures creari, translata in unum tam honoris, quam functionis prærogativa.

Quamvis autem cumulatiſſime objectioni ſatisfactum putemus, ad majorem tamen explanationem eorum, quæ implexæ, ac perdifficilis hujus quæſtionis occaſione proponuntur, adverto, clari nominis Theologos opinari Apoſtolos in illis Eccleſiis, in quibus adhuc ipſi commorabantur, & in minoribus aliis ſubjectis alicui nobiliori, & in præcipuis urbibus conſtitutæ, Presbyteros tantum, & Diaconos ordinaſſe; ſiquidem munus Epiſcopi aut illi gerebant, aut Antiſtites amplioribus Ec-

clesiis præpositi, ut Timotheus Ecclesiæ Ephesiorum. Titus Cretensium. In Ecclesiis autem nobilioribus constituisse Episcopos, & Diaconos, atque ex horum numero, crescente postmodum Fidelium multitudine, ab ipsis Episcopis Presbyteros selectos, atque ordinatos fuisse. Igitur data opportunitate, nunc Episcopi, & Diaconi in Actibus & Epistolis Apostolicis commemorantur, nunc Diaconi, & Presbyteri, quoniam necessum non erat in eadem Ecclesia ab initio constitui & Diaconos, & Presbyteros, & Episcopos, ac multo minus easdem ad singulos istos dirigi exhortationes. Qui sic opinantur, magno se sponsore tuentur Epiphanio Hæresi 75.

5. Alterum argumentum Theologi nostri desumitur ex Actum App. textu, qui textus, ut ipse ait, sibi in deliciis est, tum quod Episcopalis nomenclaturæ Presbyteris communicatæ diserta ibi mentio habeatur, tum vel maxime, quod longe pulcherrima Presbyterii prærogativa ibidem *consignetur*. Nempe ibi Paulus a Mileto Ephesum mittens Majores natu (Græce ubique Presbyteros) convocat, qui Majores natu erant sine dubio secundi ordinis Sacerdotes; nam quominus Episcopi proprie dicti intelligantur, laudati Canones obstant, ne plures in una Ecclesia Episcopi ordinentur.

Præterea irridet eos, qui conterminarum urbium Episcopos hic obtrudunt, *nam non esset dictum Ecclesiæ, sed Ecclesiarum*. At dictum est *Ecclesiæ*, porro cujus nisi unius Ephesinæ? Accedit, quod Paulus prædicit fore ut ex illis ipsis, quos alloquebatur, exurgent viri perversa loquentes, discipulos post se abducturi. Neminem vero istorum Sectarium fuisse, qui instar lupi gregi non

par-

parceret, ex vetustis constat monumentis. Dicit tandem se abstinere a PP. secum sentientibus, & subdit: *omitti sine piaculo nequit antiquissimus idemque gravissimus Irenæus.*

Sed vel alio Doctissimi nostri, dum hæc scribebat mens evolavit, vel ipse penitus desipio. Ille Irenæus *antiquissimus idemque gravissimus Irenæus*, qui sine piaculo nequit omitti hic illud affirmat, quod Theologus Noster irridet, convocatos scilicet Episcopos, & Presbyteros, *qui erant ab Epheso, & reliquis proximis civitatibus*. Imo omnes, qui tenent vicinarum civitatum Episcopos a Paulo hîc vocatos, Irenæi hoc nituntur testimonio. Vide Illustrissimum D. Martino hîc. Tirinus quoque in hunc locum sic: *Per Episcopos autem intelligit, vel Presbyteros primarios* (sunt illi Evangelistæ, de quibus nos supra) *vel etiam proprie dictos Episcopos non unius, sed plurium civitatum Provinciæ Ephesinæ;* ita Irenæus. Et nominat in eandem sententiam Gregor. in Pastor. & Chrys. Lib. I. de Sacer. Jure ergo oscitantem, & dormitantem sapientiam Nostri hîc non curamus.

Et quis in animum sibi inducet Apostolum regiones illas deserturum satis sibi duxisse unius urbis majoribus natis postremas suas tradere voluisse præceptiones? = At dicitur *Ecclesiæ* non *Ecclesiarum* = Satis fuit metropolim nominare, cujus variæ civitates, unius Ecclesiæ nomine optime exprimebantur. Ephesum autem misit, quia facilis inde ad subjectas minores urbes poterat vocationis fama pervenire.

Nec te commoveat, quod ait Theologus noster: *Neminem Episcoporum sive Ephesi, sive Ecclesiarum,*

siarum, quæ Ephesinæ suberant, Sectarium fuisse. Meminerimus siquidem Apostolum hîc non solum ad Episcopos, sed & Presbyteros quoque sermocinari], & scimus ex Fidelibus ipsis Asiæ iniquitatis magistros prodiisse plurimos, ut Imenæum, & Alexandrum I. Tim. I. Figellum, & Hermogenen 2. Tim. I. Neque grammaticæ leges, neque usus loquendi nos adigunt, ut dicamus ex illis ipsis, coram quibus verba faciebat Apostolus prodire debuisse Sectarios, sed veritas sententiæ stat, ex si illa gente indicata monstra fuissent eruptura. Ut si diceremus: Ex vobis, Saxones, prodiit Lutherus, vestrum genus, Galli, est Calvinus.

Demum finge nullum ex illis erupisse Sectarium, numquid oppositus eventus fidem Apostoli dictis derogavit? An non dixit in hac eadem concione Paulus, quod hi, quos alloquebatur, *non essent amplius faciem suam visuri*, & tamen constat Ss. Apostolum iterum ad eos remeasse, ejusque faciem ab illis iisdem iterum visam? Enimvero non potuit tantus Apostolus suis precibus denunciatam pestem avertere? Quis in comminatoriis, vel funestis vaticiniis non agnoscit oppositam ex adverso divinam potentiam, ut quod exitiale futurum est dictum, hoc inde Dei præpediente misericordia non eveniat?

Sed quid ego in re manifesta tantum tricer, & satietate defatigem Lectorem, cum certissimum sit Apostolum verba illa: *Attendite vobis &c.* ad Episcopos direxisse? Vin' alium testem, & hunc locupletissimum? Ecce tibi Cælestinum I. Is in Epistola ad Ephes. Synodum (quæ Epistola in Sancta Synodo recitata est, & cum summa vene-

ra-

ratione recepta) sic loquitur num. 4. *Respiciamus rursus etiam illa nostri verba Doctoris, quibus proprie* APUD EPISCOPOS *utitur ista prædicens: attendite vobis, & universo gregi &c.* Hæc ille, cujus & verba, & sensa ante oculos habuere PP. in comitiis Tridentinis, qui Sess. 23. Can. 4. Episcoporum supra Presbyteros excellentiam luculentissima Sanctione confirmarunt, ut etiam notatio in margine id evidenter ostendit.

§. II.

SUMMARIUM.

1. *Inanis protestatio Theologi nostri.*
2. *Bona fide, & nolens Episcopalem potestatem enervat.*
3. *Quomodo accipiendi, qui formam Presbyterii ex Judaicorum rituum institutis deductam dicunt.*
4. *Expressa Episcopalis dignitatis imago.*

A pag. *6.* ad 8.

1. CLarissimus Vir optime præsentiens, quo susceptæ causæ studium ipsum pertrahat, & quantum exinde periculum Episcopali dignitati creetur, opportune protestatur Episcopos supra Presbyteros longe eminere; anathema dicit Aerio, seque cum Catholica Ecclesia sentire profitetur, *cum tuto, & Catholice dici possit Episcopos, & Presbyteros Ecclesiæ regimini præfectos, illos quidem sub Rom. Pontifice, istos sub singulis Ecclesiarum Pastoribus.*

2. Cre-

2 Credimus. Ecquis tanti Viri ὀρθοδοξίαν in dubium vocabit? Videat tamen positis, quæ ponit, qualis supra Presbyteros Episcopis eminentia relinquatur. Si enim, ut ipse ait pag. 9. *Regimen universum, sive Politia, his rebus concluditur, nimirum Controversiarum definitione, Legum promulgatione, Præmiorum destributione, & irrogatione pœnarum*; si hæc non in unius Episcopi potestate, ac imperio posita sunt, sed Episcopi potestas illa *Presbyterorum suorum consilio, & auctoritatis communione definitur*; si Presbyterium illud ordinarium Ecclesiæ Tribunal dicendum, ubi causæ omnes Ecclesiasticæ discuti, ac definiri debent, ut *non solum nihil gravioris momenti unquam geri debeat præter ejus auctoritatem, verum etiam si quid eo inconsulto fuerit attentatum, irritum prorsus habeatur* pag. 8. *si Apostoli singulis fundatis Ecclesiis unum præfecerunt, non solitarium tamen, sed seniorum nonnullorum consilio, & auctoritati obnoxium quibuscum subjectos populos communi moderamine regeret*; ibid. & alia hujusmodi, quibus totum redundat Opusculum; si inquam hæc stabunt, jam umbratilem jurisdictionis, & præeminentiæ potestatem in Episcopis supra Presbyteros cogemur agnoscere. Erit illa *Directionis*, non *Auctoritatis* præfectura, ac si verum amamus, ludibrium regiminis, non regimen, cum Presbyterorum libidine enervari, & omnium irrisionibus obiici possent quæcumque pro gregis salute consilia sibi putaret Episcopus ineunda.

Hæc Theologum nostrum non movent, cui certissimum est *Ecclesiæ Regimen institutione sua non pure Monarchicum esse, sed ex Aristocra-*

cra-

cratia quadam temperatum, ut saniores Theologi non diffitentur, sive universam spectemus Ecclesiam, sive peculiares Ecclesias inspiciamus; sunt ejus verba pag. 8. = Placet. Dictatorio more scilicet, uno verbo quæcumque tot Voluminibus firmissime Itali Theologi firmarunt, disjiciuntur. Hæc Aversanus Theologus? Ubinam, & quando quem de florentissimo nostro Clero, cujus summa laus semper extitit, obsequium & reverentia singularis erga Petri Cathedram hoc Gallico morbo leviter afflictatum vidimus? Ejurabit Noster, quæ hîc ponit, & Ecclesiæ regimen esse monarchicum cum Italis suis fatebitur.

3. Arcessiverat paulo ante antiqui Presbyterii formam ex Judaicorum rituùm institutis; addiderat, inde etiam exemplum sumtum esse in Judaica hierarchia efformanda, in qua sub uno Pontifice frequentissimi Sacerdotes & Levitæ Sacra procurabant; subdit *hos mores, ritus hosce auctoritate sua confirmavit & consecravit exemplo Unigenitus Dei Filius; ipse etiam Senatores habuit suos &c.* pag. 8.

Scio hæc ut plurimum a Nostris qua veteribus, qua junioribus affirmari. Vellem tamen, ut nonnulli non nimis urgerent umbratilem illam similitudinem, quam in nostrarum rerum detrimenta converterent. Sic agant, ut augustiora cunctis semper appareant visibilis Christi regni exordia. Profecto ecquid Synagogæ cum Ecclesia, Ancillæ cum Libera & Sponsa, Umbræ & Figuræ cum Veritate & Evangelio?

Novimus humanæ naturæ consortem factum Dei Filium totam Sacerdotii plenitudinem ac amplitudinem obtinuisse. Ipse monarchice, absolu-

te,

te, & independenter Ecclesiam gubernavit. Ecquando vero vocavit Apostolos in consilium? Ubinam moderatoribus usus est Discipulis? His parere datum, dum in terris agebat Magister. Consilia Domini non noverant Apostoli, nec nisi in Cœna, scilicet *pridie quam pateretur Dominus*, Sacerdotii honore sunt condecorati, & tunc demum Satores & summos parentes novæ suæ gentis illos Christus præstituit, cum Spiritus plenitudine vestitos in Orbem misit universum.

Nolo hîc de Petri primatu longam attexere disputationem, neque contentiosum ducere funem de natura Ecclesiastici regiminis; etenim Libri de hoc argumento conscripti excreverunt adeo, ut vix capiant Bibliothecæ. Necesse tamen omnino est nonnulla carptim, & stricte de Episcoporum dignitate innuere magis, quam persequi, quo paratiores inveniamur ad excipienda ea, quæ Theologus noster elegatissime & uberrime pro Presbyterorum auctoritate hîc colligere exorditur.

4. Exploratum est Ordinum Ecclesiasticorum amplissimum eminentissimumque esse EPISCOPATUM, fontemque illum atque originem & quasi parentem omnium quotquot sunt Ordinum spiritualium. Hæc Episcopatus plenitudo emicuit primum in Christo, quem iccirco Princeps Apostolorum *Episcopum animarum vocat nostrarum*. Hoc ordine insignitos, hoc cælesti ministerio condecoratos suos voluit Christus Apostolos, quibus tamen præfecit Petrum, ea vero lege, ut quoniam prudentissimus ille Legumlator Ecclesiæ suæ in æternum perduraturæ prospecturus erat, voluerit Sacerdotii dignitas serie non interrupta in Episcopos transfunderetur, ita tamen ut in his

ple-

plenitudo poteſtatis conſiſteret, ex quibus Ordines alii profluerent veluti rivuli, & poteſtates omnes, atque in primis Presbyterorum dimanarent.

Hæc ita ſe habere Eccleſiæ ſenſus a vetuſtiſſimis temporibus manifeſte nos edocet. Permagna erat Presbyterii poteſtas, ſed precaria, & obnoxia legi, & imperio Epiſcopali. Hinc felicis illius, & vere aurei Eccleſiæ ævi Concilia, & reliqua Scriptorum monumenta teſtantur tunc Presbyteros nec prædicaſſe, nec baptizaſſe, nec reconciliaſſe Pœnitentes, nec rem Divinam peregiſſe, niſi abſente, vel jubente Epiſcopo, qui tunc ſacra hæc munera plerumque unus exequebatur. Vide Ignat. epiſt. ad Smyrn. & epiſt. ad Trall.

Hinc ut advertit Thomaſſinus Part. I. Lib. I. Cap. I. veteris, & novæ Diſcip. poterat Presbyter peccata dimittere, ſed hanc ejus poteſtatem pro arbitrio ſuo Epiſcopus coarctabat; offerre Deo incruentam victimam poterat, ſed ea lex invaluerat Apoſtolico jam ævo, ut non niſi, vel deficiente, vel abſente Epiſcopo, eoque jubente, hanc partem ſacri muneris impleret, nec niſi in Templis, Altaribus, & vaſis ſacris, quæ Epiſcopus conſecraſſet. Denique verbo Dei poterat populos paſcere, ſed mandante Epiſcopo, tempuſque illi, & locum præfigente.

Sed Epiſcoporum dignitas in eo maxime elucet, ut non ſolum Presbyteros, Diaconoſque inſtituant, ſed etiam Epiſcopos ordinent, & novos in dies creent Apoſtolos, qui pari poteſtate & ipſi non Presbyteros modo, ſed Epiſcopos pariant. Quam præclare ſe hic exſerit ſacerdotalis dignitatis plenitudo! Cui non modo Sacerdotii propagandi fœcunditas ſuppetit, ſed hujus quoque

Di-

Divinæ fœcunditatis donandæ auctoritas.

Hæc attendentes vetustissimi PP. Ignatius in primis, & Const. App. quisquis ille est Auctor ea habent de Episcoporum dignitate, quæ nos in maximam rapiant admirationem. Certe Ignatius Mar. epist. ad Smyrn. Episcopis appinxit personam ejus, qui æternus Verbi Dei Pater est: *Omnes sequimini Episcopum, ut Jesus Christus Patrem.* Et epist. ad Trall. *Revereantur omnes Episcopum, ut Jesum Christum existentem Filium Patris.* At longum esset cuncta, quæ in hanc sententiam Ignatius frequenter edisserit, adducere.

Constitutionum App. Auctor Episcopatus dotes præcellentes uno compendiario præconio est omnes complexus, dum ait: *Presbyteros esse Sacerdotium, Episcopos Regiam Sacerdotii Dignitatem; Christum denique ex natura sua sacerdotem esse primum Regem, & Principem.* Quod perpendens Thomassinus, ubi supra, exclamat: *Quantum est ergo discriminis inter Regiæ Majestatis apicem, & ceteras, quæ inde religatæ pendent dignitates, tantum inter Episcopalem ordinem statuendum est, & Presbyteralem.*

Et hæc ad primævam felicioris Ecclesiæ praxim exacta germanam nobis exhibent Episcopatus imaginem; admonent quoque quænam fuerint Presbyterorum partes interea. Posteriora non moramur, in quibus vel Episcoporum negligentia, & Presbyterorum sagacitate, vel privilegio, aliisque viis modo ampliora Presbyteris indulta videmus, modo his Conciliorum sanctionibus per Episcopos obviam itum, & nimiam ipsorum refrænatam confidentiam cernimus.

§. III.

§. III.

SUMMARIUM.

1. *Theologus noster innoxius bullæ Pii VI. violator.*
2. *Nunquam Ecclesia passa est simplices Presbyteros assidere cum Episcopis in generalibus Conciliis controversiarum Fidei judices.*
3. *Nec ipsi Presbyteri opinati sunt unquam sibi jus illud esse.*
4. *Ex Tridentini facto confirmatur hoc ipsum.*
5. *Frustra Theologus noster contra pugnat exemplo Concilii Hierosolymitani.*

A pag. 9. ad 11.

1. AFfirmaverat Theologus noster pag. 9. regimen universum sive politiam concludi his rebus, nimirum *Controversiarum definitione; Legum promulgatione; Præmiorum distributione, & Irrogatione pœnarum*. Aggreditur nunc de singulis fuse disputare. Et quoad I. judicium definitivum Presbyteris cum Episcopis competere in controversiarum definitionibus dicit;) suntque in ejus sententia Presbyteri controversiarum circa Fidem judices.

2. Hæc sententia novissime damnata est a Pio VI. anno 1794. die 28. Augusti in Bulla AUCTOREM FIDEI. Ibi num. X. *Doctrina, quæ Parochi, aliique Sacerdotes in Synodo congregati, pronuntiantur una cum Episcopo judices Fidei, ipsis competere jure proprio, & quidem etiam*

per ordinationem accepto, est falsa, temeraria, Ordinis Hierarchici subversiva, detrahens Firmitati definitionum judiciorumque dogmaticorum Ecclesiæ; ad minus erronea. Quid hic Theologus noster? Manus dabit, quæque ejus insignis religio est, susceptæ causæ patrocinium deferet. At qui sub hac larva pugnant nuperi Jansenistæ, ad Majorum suorum confugient technas, & quæ illi ad effugiendum fulmen celeberrimæ Bullæ UNIGENITUS absurda, futilia, impia sunt commenti, hæc & ipsi nefarie, & scelerate repetent, suis parentibus similes, imo sceleratiores reperti pejora in Pianam Bullam comminiscuntur.

At nos, qui Romanam Ecclesiam veritatis magistram agnoscimus, eamque sacræ Traditionis incorruptum servare depositum certissime scimus, laudatam decisionem omni animi submissione recipimus, amplectimur, reveremur, & damnatam doctrinam omnino repellimus, detestamur, rejicimus. Et illam quidem falsi arguit vetustissima, & constans Ecclesiæ praxis, quæ nunquam simplices Presbyteros assidere cum Episcopis in generalibus Conciliis Fidei judices passa est. Quod si oppositum esset verum, jam omnium generalium Conciliorum nutaret Fides, nulla in omnibus retro sæculis dogmaticis S. Sedis judiciis staret auctoritas, quandoquidem nulla in illis pars Presbyteris data est, quos tamen oportuisset necessario vocari; iique relicti potuissent hoc nomine in omnes Constitutiones Ecclesiæ insurgere, illasque irritas, ut legitima solemnitate destitutas, declarare. Numquid in tantum malorum delapsam dicemus Ecclesiam, ut ignorarit quid solemnis controversiarum finiendarum regula postularet? adeo

quoque

quoque Presbyteris injuriosam, ut eos jure suo & Sacerdotali characteri affixo inaniter spoliare voluerit?

At hos neque Concilia generalia evocarunt, nec Summi Pontifices illos in suis cudendis decretis adhibuere. Vigent, æternumque vigebunt Ecclesiastica monumenta, in quibus magnum Nicænum Concilium semper appellatur *Concilium* 318. *PP.* nulla prorsus facta de Presbyteris mentione. Patres quoque Quintæ Synodi Œcumenicæ in Fidei definitione Collat. 8. dixerunt: *Tenere autem confessi sumus hanc Fidei confessionem, quam latius exposuerunt* 300. *decem & octo SS. PP. Nicææ congregati . . . . Insuper autem & centum quinquaginta in Constantinopoli collecti exposuerunt . . . . Et ducentorum SS. PP. prius Ephesi collectorum pro eadem Fide consensum, & quæ a sexcentis triginta Chalcedone congregatis definita sunt.* Vide quam accurate eorum, qui adfuere, ineatur ratio: profecto si qui adfuissent Presbyteri, illorum recenseretur numerus.

3. Rursus confirmantur hæc omnia ex ipsorum silentio Presbyterorum. Numquam hi questi sunt de hac sui in Conciliis omissione, nunquam reclamarunt; injuriam sibi illatam numquam submurmurarunt, vel hoc nomine Canonicis Sanctionibus restitere, quia evocati non fuissent. Quot putas Presbyteros vel Arii, vel Nestorii, vel Macedonii, aliorumque sectariorum partibus addictos his quam diligenter studuisse? Et quis illorum, ut damnationi se eriperet, hoc scutum arripuit? Quis Decretis litem intentavit, & invalida illa dixit, quia neglecti Presbyteri, & nulla hic eorum fuerit opera quæsita? Et fieri potuit

tot vertentibus sæculis nullum Cleri sui amantissimum Episcopum institisse pro illius ad Synodum evocatione?

Quid si non solum Negativis, ut ajunt, nitimur argumentis, sed Positivis quoque firmissime munimur? Ecce cum ad Chalcedonense Concilium accurrisset Clericorum turba, exclamaverunt Episcopi: *Synodus Episcoporum est, non Clericorum; superfluos mittite foras.*

Fatemur Diaconos interdum, & Presbyteros subscripsisse Conciliorum definitionibus. Sed id procuratorio Episcoporum absentium nomine eos fecisse scimus. Ex privilegio quoque nonnullis quandoque Presbyteris subscribere datum est. Profecto in Œcumenica Tridentina Synodo aderant plus minusque 130. clari nominis Theologi; horum nullus subscripsit; optime quippe Ecclesiæ disciplinam, & praxim callebant, nec Presbyterorum jura ignorabant.

4. Ex hoc Tridentini facto confirmatur nervose vetusta Ecclesiæ disciplina solos Episcopos agnoscentis judices controversiarum Fidei in Conciliis, cum unus idemque sit spiritus, qui Ecclesiam semper gubernavit, & gubernat, & in tota antiquitate soli commemorentur Episcopi controversiarum judices, & eorum numerus disertissime in primis quatuor generalibus Conciliis recenseatur, omissis, qui aderant, Presbyteris.

5. His breviter præmissis audiamus modo, quæ Theologus noster adducit. Ex notissimo Concilio Hierosolymis habito, Legalium occasione, invictum sibi elicere videtur argumentum. Aderant ibi ad minus tres Apostoli, aderant Seniores h. e. Presbyteri: horum nomine procuditur decretum:

Pla-

Placuit Apostolis, & Senioribus; & de hoc dubitare non sinit ipsa Synodicæ Epistolæ inscriptio: *Apostoli, & Seniores fratres*; & cave, ne arbitreris Seniores ipsos, sive Presbyteros huic Synodo *Testium* loco sine suffragio, & quidem decisivo interfuisse; obstant verba illa communi nomine prolata: *Visum est Spiritui S. & nobis*; sicut & illa: *Perambulabat* (Paulus) *Syriam confirmans Ecclesias custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum*, Actorum 16. itemque *dogmata, quæ erant Decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Hierosolymis* 16.

At estne certum *Seniorum* nomine ibi vocari simplices Sacerdotes? Nihil alienius. Vidimus supra de voce Presbyteri; augustior hæc esse videtur; & Johannes Evangelista *Seniorem* se nominat: *Senior Electæ*. Nequit ergo firmum inde pro asserto Presbyterorum jure argumentum desumi. Imo exploratissimum mihi est Seniores ibi commemoratos esse majores Sacerdotes, & quidem illos, quos Apostoli Episcopali charactere insignitos pro Ecclesiarum opportunitate constituebant. Non est hoc ariolari, nec inanes persequi conjecturas. Et quidem viderant Apostoli necessitatem institutionis majorum istorum Presbyterorum, cum recipiente Samaria verbum Domini mittendi illo fuerunt Petrus, & Joannes. Quod si in ipso nascentis Ecclesiæ exordio huc deventum est, quid dices post tanti temporis accessionem, in immensum succrescentibus Fidelibus, totque regionibus Christianæ Fidei jam adjunctis? Concilium hoc App. celebratum est anno 19. a passo Christo. Omnino id mihi persuadeo. Cum, ut unanimes judicant Theologi, & Noster in primis hic pag. II.

hoc primum Concilium formam præstituerit Ecclesiæ cuncta ad finem usque Sæculorum habendi Concilia, & ad hujus normam sciamus conciliares semper res fuisse transactas, qua fronte Pontifices ausi essent in Conciliorum indictione nullam de Presbyteris mentionem habere? Quomodo passi essent Episcopi tam præclaram ab Apostolis traditam formam inverti? Quomodo sua jura penitus violari non indoluissent ipsi Presbyteri? Quod si inter illos Seniores nonnulli ex PP. simplices videre Sacerdotes, nunquam illis venit in mentem ea tribuere nostris Presbyteris, quæ Jansenistæ (acutius scilicet videntes) ex Apostolico illo Concilio in hos irrito labore derivare studuerunt.

§. IV.

SUMMARIUM.

1. *Ex electione S. Mathiæ causæ suæ præsidium quærens Theologus noster difficilem incidit in nodum.*
2. *Refellitur ejus sententia de sortibus ibi commemoratis.*
3. *Diaconorum inauguratio nihil ejus causæ roboris addit.*

A pag. 11. ad 14.

1. AD alterum propositæ divisionis caput animum convertenti Theologo nostro occurrit ex Scripturis primum Mathiæ electio, tum Diaconorum inauguratio. Et quidem poterat Petrus ut Ecclesiæ Caput, & Pastor Supremus, at de-

decebat Vicarium Christi, cœtum Apostolorum duodenario numero a Christo definitum, sed Judæ lapsu jam capite uno minutum, altero surrogando instaurare, supplere, & perficere; sed infantem, ut ita dicam, coegit Ecclesiam, quæ centum viginti capita numerabat, inter quos Apostoli undecim, & Discipuli duo, & septuaginta, propositaque omnibus alterius in locum Prævaricatoris eligendi necessitate, ut quem digniorem præ cunctis noscerent, in medium proferrent, hortatus est. Non solus Petrus hic deliberat, non soli Apostoli, sed omnes simul Apostoli, & Discipuli consuluntur, requiruntur, rogantur: omnes simul statuerunt Josephum, & Mathiam præ ceteris *digniores*. Longam hic instituit disputationem de *sortibus*, quæ ibi commemorantur. Ea *suffragia* interpretatur, ut omnium scilicet suffragiis Mathias sit renunciatus Apostolus.

Videat, quo progreditur Theologus noster; ne plura quæsitis inveniat, & plebem quoque in electione Sacrorum Ministrorum hoc exemplo necessario consulendam suffragii quoque honore donandam autumet. Ergo ne omnes simul statuerunt Josephum, & Mathiam? At Tirinus: *Statuerunt duos: Qui? Utique Apostoli ex voto, & consensu ceterorum isthic præsentium. An ergo Ministrorum Ecclesiæ nominatio, & electio penes plebem est? Nullo modo, neque enim hic a plebe, sed solum coram plebe ab Apostolis facta est hæc nominatio*. Unde & Cyprianus *epist.* 68. contendit ordinationes Sacerdotales nonnisi præsente plebe fieri oportere, ut sic detegantur malorum crimina, & bonorum præmia.

2. At rem hanc penitius introspicienti patebit

nihil roboris inde ſuſceptæ cauſæ accedere. Cooptandus erat novus Apoſtolus; cooptationis hujus neceſſitatem proponit Petrus; edicit eum aſſumendum ex illis, qui fuerant cum Apoſtolis (*nobiſcum*) congregati *omni tempore*, quo intravit, & exivit inter illos Dominus Jeſus: ſtatuuntur duo præ ceteris digniores: res divino arbitrio permittitur: *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum accipere locum miniſterii hujus, & Apoſtolatus*. Dantur ſortes: cadit ſors ſuper Mathiam. An recuſabis, quin dicas Mathiam non ab hominibus, ſed a Domino ipſo electum? Poterat profecto ille, ſicut poſtea Paulus, de hoc gloriari.

Quod ſi ſuffragiis res fuiſſet peragenda, ad quid communis illa oratio: *Tu Domine oſtende*; aliis verbis res fuiſſet efferenda: nimis viva & fortis vox illa eſt: *Oſtende*. An primitias illius Spiritus, qui paulo poſt erat ſuper ipſos effundendus, non ſuſpicis hic in Petro, & Apoſtolis negotium ad ſortes, quas divina providentia temperandas ſciebant, rejicientibus? De maxima re agebatur. Quid ſi partium ſtudiis incaluiſſent congregati? Nonne inter ipſos Apoſtolos paulo ante facta erat contentio, quis eorum videretur eſſe major? Talis decebat, ut infanti Eccleſiæ novus daretur Apoſtolus, quem non caro & ſanguis, ſed Deus ipſe daret, quem utpote a ſe non datum, ſed Domino donante acceptum plebs ſuſciperet, coleret, revereretur; quem & alter candidatus, Joſeph ſcilicet, non ab hominibus, ſed a Spiritu S. ſibi præpoſitum non dedignaretur.

Cave te religio inceſſat, dum ſortes audis. Di-

Divino enim interiori monitu certiores redditi fuerant Apostoli Deum hac sortitione demonstraturum, utrum e duobus vellet. Sic passim Interpretes: *Quanquam*, subdit hic Tirinus, *etiam sine ejusmodi instinctu poterant exemplo Majorum tali sorte rem decidere, maxime inter istos duos, qui dotibus essent pares, & sine omni exceptione dignissimi*. Memorat *Jos.* 7. *Reg. I. cap.* 10.

Nec te deterreat interdictum Ecclesiæ longe ab electionibus sortes repellentis. Prudentissime id factum, ut fraudibus & dolis aditus præcluderetur, nec in incertum eventum res adduceretur, sed subactæ tantum, exploratæque virtuti ad Ecclesiasticas dignitates pateret accessus; nec ad manus essent Electores, vel Eligendi, quales in novi illius Apostoli cooptatione sunt inventi.

Gagnæum porro, in quo Theologus noster acquiescit, non tanti facimus, ut illius ergo a communi omnium Interpretum sensu recedamus, novamque, (& illam quidem satis incommodam) in sacras Electiones formam invehamus. Misereor quoque Theologi nostri, dum acerrime luctatur cum *Eorum*, *Eis*, *in Eos*, & tam anxie, & sollicite sortes illas versat, quas tranquillo, pacatoque animo Apostoli in urnam conjecere. Ergo ne dicendum fuisset: *Miserunt sortes in eos?* Si dictum: *Miserunt sortem in vestem*; ergo in Apostolatum, & non *in eos* sortem missam dici oportuit.

At Græcus habet: *Suffragiis cum undecim Apostolis connumeratus est*. Bene quidem. Quid *suffragium*, nisi voluntatis significatio? Quid *suffragari*, nisi favere? Cum Sors cecidisset jam

super

ſuper Mathiam, illoque ſigno Deus Mathiam in Apoſtolorum Collegium ſignificaſſet adlegendum, quid miraris, ſi quotquot aderant, plauſibus, clamoribus, favoribus Mathiam receperunt, & Apoſtolorum albo jam cælitus inſcriptum proclamarunt? Sed de hoc ſatis.

3, Diaconorum inauguratio quid ſuſceptæ cauſæ ſubſidii afferat, non video. Creſcente numero Diſcipulorum h. e. Chriſtianorum, cum factum eſſet murmur Græcorum adverſus Hebræos (cauſa notiſſima eſt) convocantes duodecim multitudinem Fidelium juſſerunt eligi ſeptem Viros, quos ſuper opus illud conſtituerent: *Et placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum &c.* Nulla hic Presbyterii mentio. Multitudini indulſerunt Apoſtoli, ut illos eligeret, auctoritatem tamen eos initiandi, partemque miniſterii ipſis aſſignandi ſibi reſervarunt.

§. V.

§. V.

SUMMARIUM.

1. *Excommunicatio in inceſtuoſum Corinthium non arguit jus illud, quod pro Presbyterio urget Theologus noſter,*
2. *Neque illius abſolutio,*
3. *Multo minus eleemosynarum Collectores & Diſtributores.*

A pag. 14. ad 17.

1. EXquitur tandem Theologus noſter Tertium Caput ex Scripturis, pœnas quod attinet, ſine Presbyterii totius Concilio non inflictas. Inceſtuoſus Corinthius utramque paginam implet. Summa eſt: objurgationem Apoſtoli non ſolum Epiſcopum tangere, ſed totum Presbyterium, quippe quod ſimul cum Epiſcopo tanto malo occurrere opus erat, ac pro facta ſibi poteſtate Canonicis pœnis in inceſtum hominem animadvertere. Decernit Apoſtolus deveniendum ad excommunicationem. Vult tamen omnium conſortio conſentientibus animis rem confici: *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu &c.* Eandem formam ſervatam agnoſce in illius Rei abſolutione 2. Corinth.

Hic locus, qui factus eſt lapis offenſionis Novantibus inde inferentibus penes Laicos & Plebem, non autem penes Prælatos Eccleſiæ eſſe poteſtatem excommunicandi, neſcio quomodo incentivo ſit Theologo noſtro pro jure Presbyterii, ut hujus conſenſus requiratur in teterrima illa, &

qua

qua gravior pœna est, infligenda, scilicet excommunicatione. Omnes Corinthios, non autem solum Presbyterium Corinthiacum alloquitur hic Apostolus; epistolæ inscriptio id luculentissime evincit: *Paulus .... Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, santificatis in Christo Jesu, vocatis Sanctis cum omnibus, qui invocant nomen Domini Jesu Christi in omni loco ipsorum, & nostro.* Totus contextus Epistolæ idipsum indicat, & maxime Caput V. in quo hac de re agitur.

2. Non increpat Corinthios, quod non excommunicaverint incestuosum illum, sed quod *inflati estis*, scilicet cacozelia vestra, & superbis de Magistrorum præcellentia contentionibus, & rixis, *nec luctum* h. e. nec dolorem, nec curam *habuistis*, ut tam scelestus de *medio vestrum tollatur*, & ab Ecclesia ejiciatur. Quid hic Presbyterium? cum Apostolus expresse dicat: *Ego judicavi*; nec nisi suo nomine jubet excommunicationem in publico Corinthiorum consessu ad terrorem aliorum sollemniter infligi, ut Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus, aliique exponunt.

3. Et quoniam Theologus noster ait: Non dissimilem se gessit Paulus in Rei absolutione, nec eam sine Presbyterii consensu pronunciavit, nosque ad II. Corinth. vocat, operæ pretium est sensum hujus Epistolæ quoad rem hanc aperire. Cap. II. ubi de illius absolutione agitur manifeste docemur Eum ab ipso Paulo fuisse absolutione donatum. Hinc jure Tirinus hoc Capiti illi præponit argumentum: *Incestuosum nuper excommunicatum jam pœnitentem absolvit ab excommunicatione*. Sed juvat verba ipsius laudati In-

ter-

terpretis afferre ad verf. 10. in quo de hoc agitur: *Cui autem aliquid donaftis*, *Græce* donatis, *feu condonari & remitti a me petitis per Titum (ut infra fequitur) etiam ego condono, hoc eft, ficut congregatis vobis, & meo Spiritu juffi illum excommunicari, ita nunc me vobis adjungo, ut quod vos in perfona mea illi condonatis, ego condonem, abfolvendo illum ab omni vinculo excommunicationis, omnique relicta pœna, quam adhuc fubire merito deberet pro tam enormi fcelere. Ita Chryfoftomus, Ambrofius, Anfelmus, & S. Thomas.*

4. Pro coronide addit Theologus nofter: Ipfos (quod mirabile) Eleemofynarum Collectôres, ac Diftributores non fine communibus fuffragiis Apoftolico ævo *delectos*. At ficut eleemosynas non dabant foli Presbyteri, fed omnis Populus, ita fuffragiis non folius Presbyterii, fed totius Populi illa fiebat deputatio. Vide totum Contextum, & facile judicabis egregiam ex facto illo præceptionem Ecclefiafticis omnibus tradi, quomodo fe gerere debeant, ubi de nummis agitur. Nihil magis Presbyteralem gloriam dejicit, peffumdat, atque corrumpit, quam leviculus avaritiæ, & cupiditatis odor in Sacris Miniftris. Is alienos a Pœnitentiæ tribunalibus reddit Fideles; caritatis vinculum, quo Parochis fuis illigari debent illi, disrumpit. Collatam in pios ufus pecuniam facrilego peculatu averti clamabit infenfum femper Clericis peffimum vulgus. Quid fi hanc machinam in Chrifti Ecclefiam, ut eam delerent (pro infaniam!) Janfeniftæ pararunt? Sortitis quippe inter fe Provinciis Petro Chamus obtigit, ut demonftraret omnes Sacerdotes juri dicundo in Sacris

Tri-

Tribunalibus addictos avaritia tabescere, & temporalibus inhiare, totamque Confessionis fabulam Sacerdotis lucello terminari.

§. VI.

SUMMARIUM.

1. *Primi subsellii Doctorem se prodit Theologus noster disputans de potestate divinitus Presbyteris collata.*
2. *Feliciter Adversarios refellit.*
3. *At gravia momenta nos ejus doctrinæ prorsus acquiescere non sinunt.*
4. *Inaniter argumentatur ex Hierarchia Tridentini auctoritate constabilita.*

A pag. 17. ad 20.

1. ALtius hic insurgit Theologus noster, & prædictam amplissimam Presbyteralem potestatem docet Divino jure in Presbyteros descendisse, quippe quibus a Christo ipso in suos Fideles jurisdictio Episcopali tamen auctoritati ob noxia ἀμέσως tributa fuerit. Gallorum lumina a se stare dicit: nec ab his alii dissentiunt, qui in 72. Discipulis Luc. X. secundi ordinis Sacerdotes vident, Divina missione donatos, omnique illa potestate instructos, quæ ex missione consequitur. Hoc confirmat, quia similibus verbis Matth. X. Dominus Apostolis missionem, & jurisdictionem Apostolico muneri respondentem largitus est; tum quia præesse veluti proprium Presbyterorum characterem designet Apostolus I. Tim. V. *Qui bene*

præ-

præsunt, *Presbyteri duplici honore digni habeantur*; tum quia Discipulis hisce Presbyteros successisse tota clamat Antiquitas: urget tandem Tridentini auctoritatem Sess. 23. Can. *6.* definientis in *Ecclesia Catholica agnoscendam omnino Hierarchiam Divina Ordinatione institutam, eamque constantem Episcopis, Presbyteris, & Ministris*. Quid porro Hierarchia sonat, nisi sacrum Principatum? Sunt ergo a Christo Presbyteri instituti ad principandum, quemadmodum & Episcopi, id quod fieri omnino non potest sine præcipiendi potestate, ac in subditos jurisdictione.

2. Occurrit deinde Bellarmino declinanti vim argumentationis, & reponenti minus proprie 72. Discipulis successisse Presbyteros. Digna sunt quæ affert; mirifice de illis mihi placeo. Quis non videt, quam præclara sint illa pro Parochorum dignitate? In illis Discipulis quis est, qui Parochos non agnoscat? Urgebimus infra id ipsum.

3. At Adversarii alio sensu hæc omnia volunt accipienda: extraordinariam missionem in 72. agnoscunt, idque potestas patrandi miracula illis concessa, quam Presbyteri nostri non habent, satis confirmat. Non dictum Discipulis: *Ecce ego vobiscum sum &c.* Non his datam ligandi, atque solvendi potestatem. Negant quoque Episcopos proprie dici posse Apostolorum successores. Titus, Timotheus, Andronicus, Junius, Epaphroditus, & alii plures, qui 1. Cor. commemorantur Episcopi, quomodo dicentur Apostolorum, qui tunc in vivis agebant, successores? Et non dictum Apostolis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ?* Id ad Episcopos, quorum intra certi

loci

loci limites ab omnibus retro sæculis definitam agnoſcimus juriſdictionem, transferes?

Sunt quippe, ajunt illi, divinæ inſtitutionis Epiſcopi; ſunt & Presbyteri; hos tamen Petrus, & Petri ſucceſſores vi Primatus mittunt, juriſdictionem temperant, & pro locorum varietate, & temporis opportunitate majorem modo, modo minorem tribuunt auctoritatem. Hoc niſi dicamus, Primatum evertimus, & in Eccleſiam, quæ caſtrorum est acies ordinata, fœdam invehemus confuſionem.

Et unde factum est, ut Presbyteri antiquissimis temporibus nec baptizare, nec prædicare, nec ſacrum peragere auderent, niſi ad jussionem Epiſcopi, vel iſto abſente? Nonne diœceſeos limites his assignatos antiquis a moribus, magno edocente Nicæno Concilio, diſcimus celeberrimo illo Capite: *Antiqui mores ſerventur?* Huc revocant Evangelicas comparationes, quibus modo Ovilis, modo Regni nomine Eccleſia exprimitur. In deliciis ſunt Cypriani verba comparantis Sedem Romanam Radici, Capiti, Fonti, Soli, ex quibus ſua prono alveo proficiſcuntur conſectaria.

Urgent maxime claves cælorum Petro datas; clamant illud maxime notandum Petri unius privilegium: *Paſce oves meas*. Permulta ſunt, quæ undique corradunt: longissimas attexunt diſputationes, & ſubſidium ab ipſa Eccleſia in generalibus Conciliis congregata adpoſcunt. Dum enim generali Concilio præſentia ſua adſtat Pontifex, ipſi non Concilio decreta adſcribuntur formula illa conſueta: *Sacro approbante Concilio*. Quid ſi in generali Lugdunenſi Concilio Innocentius IV. ſapientissimus Pontifex approbationem ipſius

Sy-

Synodi, fortasse, ne cui illa necessaria videretur, recusavit, dictumque ibi est: *Sacro præsente Concilio*.

Optarem hæc non esse adeo firma. Sed qualiacumque sint, infirmant certe totam Theologi nostri argumentationem, nosque illi tuto acquiescere non sinunt.

4. Jam vero quod ex Hierarchia Tridentini auctoritate constabilita desumit, & ad rem suam detorquet, infirmum satis est. Ergo ne Diaconi, ut nunc sunt, quoque principabuntur, quia Diaconibus etiam constat Hierarchia? Hierarchia seu sacer Principatus non ad terrenæ imitationem potestatis efformata: *Reges enim Gentium dominantur, vos autem non sic*. Luc. XXII. Sed Deo, cui servire regnare est fideliter, ad serviendum divina ordinatione constituta in hoc posita est, ut varii Ministri quoad gradus sui naturam sacra munia peragant, & spiritualem potestatem, quæ animarum salutem respicit pro modulo quisque suo naviter prudenterque exerceant. Notum illud Augustini: *Quod Christiani sumus, propter nos est; quod Episcopi sumus, propter vos est*.

Divina ordinatione factum est, ut in hoc sacro Principatu, seu Regimine primæ sub summo Ecclesiæ Hierarcha sint Episcoporum partes; alteræ Presbyterorum; postremæ Diaconorum: sit illorum filios ministros Ecclesiæ Sacerdotes divina fecunditate generare: sit Sacerdotum Eucharistiam, ad quam proprie Hierarchia refertur, conficere, tum reliqua, quæ ordinis sui sunt, peragere: sit Diaconorum Eucharistiam ministrare, tum Baptisma conferre, tum populos edocere, divinique Verbi eximios se præstare præcones. Hæc

autem omnia non inordinate, ſed qualiter decet divinum miniſterium, & bene conſtitutæ Chriſtianæ Reipublicæ natura poſtulat, fieri debent. Unuſquiſque autem vi ordinis ſui jure ſuo, quæ memorata ſunt, exequitur. Ac ſi illud etiam poſtules, ut hujus Hierarchiæ vi jus, addatur miniſtris ſubſtentationem ſuam recipiendi, liceat id per nos, & fortaſſe huc reſpicit Theologus noſter de hoc argumento diſſerens.

Hic tamen vellem, ut conſuleret ipſe ſuum fidum Achatem, Thomaſſinum intelligo, qui ipſi ceteroquin prora, & puppis fuit in tota ſua navigatione: Thomaſſinus in hanc Hierarchiam compellit omnes etiam minores Clericos, quos *Miniſtrorum* voce a Tridentino expreſſos contendit. *Eo maxime verbo*, ait ille, *uti voluit S. Synodus, ut innueret minores omnes Ordines, quia quædam quaſi Diaconatus decerptæ portiones ſunt, Divina illa Hierarchia comprehendi*. Occurrit deinde objectioni, quæ moveri poteſt ex eodem Concilio, ſcilicet nec Subdiaconos poſſe comprehendi ea in Hierarchia, quæ ſit inſtitutionis divinæ, nedum Miniſtros inferiores: quippe quos & SS. PP., & Concilia doceant, nec eoſdem, nec ſemper, nec ubique omnes in omnibus Eccleſiis præteritis temporibus fuiſſe; ſed alios ex aliis ab Eccleſia inſtitutos. *At viciſſim reſpondebimus nos; ſatis eſſe, ut inſtitutionis Divinæ ſit eorum fons, & origo, Diaconatus videlicet, a quo effluxerunt omnes, & in quo omnes excellentiori modo continentur*. Hæc Thomaſſinus par. I. lib. I. cap. 51. Vet. &c. Quæ ipſius verbis retuli, Theologi noſtri judicio ſubjiciens.

Nos interim noſtra proſequamur. Age; con-

tra

tra Episcopum suum Presbyter; hunc contra exurgat Diaconus, nonne omnia ad destructionem vergent? Aliud Ordo, aliud sibi vindicat Jurisdictio. Ut possis, præstat Ille, dat hæc, ut facias. Theologus autem noster memorat semper, sub Episcopo hanc Presbyterorum potestatem consistere; Episcopali auctoritati illam facit obnoxiam. Rectissime quidem. At quomodo hæc stabunt, si verum sit, quod ipse contendit? Si Christus illis jurisdictionem, executionemque vage, & indeterminate impertivit, qua fronte hanc Pontifices, quo jure hanc Episcopi cancellis circumscribent? Nos rectissime dicemus Presbyteros principari, principari Diaconos, qui ad Episcopi nutum, quæ Ordinis sui sunt, explicant. Principari dicimus Proregem, dum jubet, scientes ceteroquin a Rege hujus jussa munia. At dicemus Regem debere hujus exquirere consilium, hujus petere consensum, ut legem ferat? Officialis Episcopi unum cum eo constituit Tribunal; & pone velle Episcopum aliquid moliri, an irritum illud, quia Officialis consilio, & consensu Episcopale illud caruit statutum?

Neque hic submurmures delegatam, si dictis stet fides, omnem esse, quæ in Ecclesiasticis Præpositis viget, jurisdictionem. Id ego nego, cum satis exploratum sit ordinariam esse Vicarii Generalis jurisdictionem, ordinariam Prælatorum; hanc fundari in Ordine Episcopali, qui perpetuo illis adhæret, explicari autem vi clavium summæ Hierarchiæ, & in nonnullis casibus modo incrementa, modo decrementa sentire, cum videamus unum esse Ordinem Episcopalem, qui tamen non uno modo in Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis,

& Primatibus quoad jurisdictionem se exerit.

Me gravissime afficit id, in quo Theologus noster gloriatur, dum jactat Gallorum lumina a se stare. Tu Gallos homines ingeniosissimis Italis præpones? Plagiarios nempe insignes, qui ut evidenter eruditissimi Viri demonstrarunt, quicquid pulchri, & sublimis excudere visi sunt, a nostris suffurati sunt. Apage te cum his luminibus, quæ ipsis Caphareis luminibus sunt deteriora Italæ tenebræ sint nobis ante omnia.

§. VII.

SUMMARIUM.

1. *Frustra in susceptæ causæ patrocinium Traditionem advocat Theologus noster.*
2. *Ignatii Martyris sensus aperitur.*

A pag. 20. ad 23.

1. OPtime, & ut Theologum decet, doctissimus Noster argumentis ex sacris literis depromtis robur adjicit Traditionis. Huic jus est sacras Scripturas, si forte obscuriores illæ sint, interpretandi. Deinde commodum sibi præfigit ordinem; cui animus est primo eas sententias Patrum proferre, quibus una cum Episcopo Presbyteris regendæ generatim Ecclesiæ potestas asseritur; deinde ad illa testimonia gradum facere, quibus Potestas explicatur in singula illa Regiminis Capita, de quibus supra. Profert primo Ignatium Mart.

Antequam hac de re nostram edamus sententiam, operæ pretium erit omnino advertere optime

me comparatum esse Presbyteris aureo illo antiquissimo Ecclesiæ ævo, cum Christi visibile Regnum in caritate fundatum ejusdem caritatis ope, & quasi vehiculo duceretur. Nondum tunc dominantes in Cleris Episcopi ex Petri monito; meminerant Dominum edocentem: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor*, Luc. XXII. & adhuc erant recentia Apostolorum exempla; ipsi forma gregis facti erant Christiana modestia insignes; mira enim demissione se omnium minimos reputabant; ac si Fidelium erat cor unum, & anima una, quanto Ecclesiæ Prælatos cum suis Presbyteris concordiæ vinculo non dices copulatos? Quo dilectionis glutino hos mutuo devinctos non jurabis? Nihil tunc e Pharisaico supercilio, nihil e superbientis spiritus olebat timore. Non ergo miraberis Episcopos sollicitudines suas cum his communicatas voluisse; horum consilia in rebus arduis expetisse; in optatis habuisse nihil aggredi, quod illorum non esset diligentissima prius industria apprime ponderatum. Sic consideratissime, sic suavissime omnia transigebantur.

Hæc propterea præmonenda duxi, ut nihil commovearis, cum SS. illos Antistites, ceterosque illius ævi Scriptores apud Theologum nostrum audies vel consulentes Presbyteros, vel consulendos docentes, magnamque Ecclesiastici partem regiminis in Presbyteros rejecisse. At tu, quod Christiana humilitas imperavit, quod caritas peregit, quod humanitas suasit, quod ab officiosi, & grati animi est sensu profectum, ad justitiæ debitum transferes, & inclamabis continuo sic factum jure cogente? Temere, & nullo consilio.

Sed mihi animus est in Ignatio. Tanti viri

 quem

quem non moveret auctoritas? Et me præsertim, qui hoc libentius ad illum trahor, & allicior, quoniam justissime ab Ignatio exorditur Theologus noster; hinc non erit inutile SS. Martyris, & præcellentissimi Magistri hac de re sensum aperire. Et quidem quam magnifice de Episcopatu senserit Ignatius, liquido constat ex Comparationibus, quas constantissime instituit modo inter Patrem Æternum, & Episcopum, modo inter hunc, & Christum ipsum. Notissima sunt ejus de hoc testimonia ex Epistolis ad Smyrn. Magnes. Trall. Habes hic apud ipsum Theologum nostrum Ignatii verba ad Smyrn. *Omnes sequimini Episcòpum, ut Jesus Christus Patrem*. Quem in locum sic clari nominis Theologus Thomassin. *Quemadmodum in Patre tanquam in Fonte tota residet Divinitas, ex quo in alias exundat Deitas Personas, ita Sacerdotii participata quasi Divinitas tota est in Episcopo tanquam in scaturigine, unde in cæteros Sacros Ministros derivatur*.

2. Porro hunc esse sensum Apostolici Viri, quæ sequuntur, evidenter ostendunt. Subdit enim nullum Sacerdotale munus posse celebrari, nisi Episcopo præsente, vel auctoritatem conciliante. En ejus verba: *Ubi utique apparet Episcopus, illic multitudo sit, quemadmodum utique ubi est Christus Jesus, illic Catholica Ecclesia; non est licitum sine Episcopo, neque baptizare, neque Agapen facere*. Comparationis sublimitas nos opprimit; pronumque est inde inferre, quod sicut Christus protestatus est, quicquid ipse operaretur, Patrem in se operari: *Pater in me manens ipse facit opera*, Jo: XIV. sic quicquid in eximiis Sacerdotalibus operibus cernitur, ad illud Episco-

palis

palis plenitudinis principium ſit revocandum.

In Epiſtola ad Magn. profitetur eum, qui paret Epiſcopo, parere Deo, & Patri tanquam Epiſcopo univerſali: *Conſentientes ipſi non ipſi autem, ſed Patri Jeſu Chriſti omnium Epiſcopo.* Epiſt. ad Trall. *Quid eſt Epiſcopus, niſi ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, omnibus imperans, quatenus homo imperare poteſt?* Ep. ad Mag. rurſus fieri quidquam vetat ſine Epiſcopo, ſicut Chriſtus nihil ſine Patre gerit: *Ita & vos ſine Epiſcopo nihil agite; non Presbyter, non Diaconus, non Laicus, neque res ulla vobis conſentanea rationi videatur præter illius ſententiam; id enim pravum eſt, & inviſum Deo.*

In Epiſt. ad Smyr. vehementius id inculcat: *Nemo ſine Epiſcopo quicquam agat eorum, quæ ad Eccleſiam ſpectant; illa rata habeatur Eccleſia, quæ ſub Epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſerit.* Ac ſubinde diſertius: *Non*, inquit, *abſque Epiſcopo neque baptizare, neque offerre, neque Sacrificium celebrare, neque convivium inſtituere, ſed quicquid illi viſum fuerit ſecundum beneplacitum Dei, ut ſit tutum, & ſtabile, quicquid agetis.* Quid plura? Epiſt. ad Polyc. viduarum illi curam commendat, & ut nihil niſi ex ejus ſententia geratur, tum ut Populum hortando admonendoque doceat, & ne Chriſtiani matrimonia, nisi ex Epiſcopi auctoritate, copulent. Hæc ſatis sint ad dignoſcendum quænam Ignatii fuerit de Epiſcoporum poteſtate ſententia.

§. VIII.

SUMMARIUM.

1. *His, quæ contra hactenus posita ex Ignatio Theologus noster opponit, satisfit ex eodem Ignatio.*

A pag. 20. ad 23.

1. OCcurramus modo Theologo nostro Ignatiana verba contorquenti, interpretantique secus, atque sonent, ac valeant. Qua in re ne longa excriptione (quod & in seqq. agemus) fatigemur, innuimus tantum, quæ ipse producit SS. Viri testimonia. Ignatius epist. ad Eph. vult illos in Episcopi sententiam concurrere: *Nam & memorabile vestrum Presbyterium dignum Deo, ita coaptatum est Episcopo, ut chorda citharæ.* Urget Theologus comparationem citharæ cum chordis, de eaque mirifice sibi placet. Pergit Ignatius: *Ut obediatis Episcopo, & Presbyterio mente indivulsa.* Debent ergo (infert Theologus) Fideles, & Episçopo, & Presbyterio obedientiam mente indivulsa. Cur quæso Episcopo, nisi quia jus habet pascendi? Igitur eodem ex capite, & *Presbyterio?*

Doleo me non videre in his, quod videt Theologus noster. An non obediemus Regi, & ejus Ministris, qui Regis voluntatem nobis significant? Scimus, quod qui Regni moderatur habenas; non sine causa gladium portat; huic non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, Apostolo docente, subdimur. Contemnendos numquid putabimus, quos Regis nomine Civitatis Guberna-

natores, Provinciarumque Præsides accepimus? Præcipit Episcopus; ejus vocem excipientes Sacerdotes præcipiunt; obedimus Episcopo obediendo Presbyteris: horum vox illius vox est; & hoc sensu (si velis huc revocare) intellige verba Christi: *Qui vos audit, me audit*.

At comparatio citharæ cum chordis? Egregie. Quid Rex sine Ministris, quid Imperator sine Exercitu, quid Episcopus sine Presbyteris? Pyrrho victori cum circumfusi gratularentur milites, illumque inter laudationes Aquilam vocarent: Equidem, scite reposuit ille, Ego Aquila; at vos alæ, quibus attollor, & aera trano.

Currit comparatio etiam in quovis Monarchico regimine inter Regnantem, & ejus Ministros, qui Ministri debent utique Regnantis menti se accommodare, ut chordæ citharæ non ad alia se transferre: dissonus alioquin, & injucundus erit sonus, & contumax citharæ chorda amovebitur.

Sed adverte Scribentis scopum. Totus hic in eo est Ignatius, ut Ephesios ad obedientiam, & honorem Ministrorum Ecclesiæ adducat, summam his apud eos auctoritatem conciliet, & reverentiam; hinc ab Episcopo exorditur, transgreditur ad Presbyterium, quod ostendit esse maxime conjunctum Episcopo, & coaptatum, ut chordas citharæ, ne scilicet Ephesii satis sibi ducerent soli Episcopo honorem deferre; Presbyterium autem contemnere non magnum esse crimen putarent.

Hæc est mens Ignatii, hic germanus Epistolæ illius sensus; huc respiciunt, quæ sequuntur circa obedientiam Episcopo, & Presbyterio mente indivulsa exhibendam: *Frangentes panem unum* &c.

Ast

Ast dum ex his ratiocinatur Theologus noster, ut audivimus, desideramus ejus acumen; ergo Presbyteri habent jus pascendi, ut Episcopus? Quia pari potestate frangunt panem (quod ex Ordine proficiscitur) pari jurisdictione præsunt? Unum corpus constituunt? Cedo; constituunt unum corpus, sicut omnes Fideles cum Romano Pontifice; transeat in hoc sensu Propositio.

Est nimis longe petitum, quod ab Epistola ad Mag. arcessit momentum Theologus noster, sed miris tractoriis organis invitum, & reluctantem lapidem ad suam cogit ædificationem. Magnesianos hortatur Ignatius in Dei *concordia omnia agere Episcopo præsidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apostolici*. Hoc nimium visum est ipsi Theologo nostro; docta interpretatione illud accommodat; & infert *Apostolis porro regendi jus nemo sanæ mentis abjudicaverit; igitur neque Presbyteris ex Ignatio denegandum est*.

Quæ somnia narras, bone Vir? Gubernant Apostoli, gubernant Presbyteri? Comparationes, & similitudines currunt in omnibus? & quæ pietatis ergo a maximis, & SS.Viris (quorum optimus Ignatius) afferuntur, confidentissime urgebis, & exinde juxta Theologicum rigorem dubiæ rei fidem conciliabis?

Nec minus infirmum, quod sequitur ex Epistol. ad Mag. *Quemadmodum Dominus sine Patre nihil fecit ... ita neque vos sine Episcopo, & Presbyteris quidquam agite*. Concludit: *Cum dignissimo Episcopo vestro, & digna contexta spirituali corona Presbyterii vestri*. Hæret mirabundus Theologus coronam affabre contextam con-

tem-

templans : caput Episcopus, corona Presbyteri, sine his nihil *agendum ex Ignatii sententia*.

Imo ex Theologi nostri *sententia*: Deus Immortalis! ut quid his chartas implet doctissimus Vir? Tantum ne partium studia? Ecce Augustinus recenter baptizatos sic alloquitur: *Vos novella germina Sanctitatis ; Examen novellum ; flos nostri honoris, gaudium, & corona mea*, Ser. 157. de Tem. Quid his per hæc ad Episcopum? Quotquot de populo sunt, alloquitur Ignatius dicens: *Neque vos sine Episcopo, & Presbyteris quicquam agite* ; etsi animi ergo in tanto tædio libet jocari: Tu per ceremoniarium Cathedralis magnum jus Thesaurario putabis quæsitum, quia ille monuit Sacristam, ut campanas ante horam nonam pulset, quia sic Episcopo, & Thesaurario placitum? Vel ego nihilo ipso minor me extollam, quia mulierculam audivi in platea in aurem puellæ insusurrantem: Ne cincinnis crinem distinguas, id Episcopo, & Parocho displicet?

Sed ludicris omissis audiamus Theologum nostrum graviora promentem ex Ignatii ad Trall. & Smyr. Epistolis: in illa sic definit Ecclesiam: *Cuncti revereantur Diaconos ut mandatum Jesu Christi, & Episcopum ut eum, qui est figura Patris, Presbyteros vero ut consessum Dei, & ut conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur*. In hac: *Episcopum sequimini ; ut Jesus Christus Patrem, & Presbyterium ut Apostolos. Diaconos revereamini, ut mandatum Dei*. Hanc suam vocem a Spiritu S. esse profectam, testatur Ignatius Epistola ad Philad. & præclaram hujus concordissimæ obedientiæ ratio-

tionem profert ; *Una enim est caro Dei nostri Jesu Christi, unus Calix in unitatem Sanguinis ipsius, sicut unus Episcopus cum Presbyterio, & Diaconis conservis meis, ut quod facitis, secundum Deum faciatis.* Id interprete Theologo nostro, perinde est, ac si diceret: Quemadmodum Carni, ac Sanguini Domini unam adorationem impenditis, quod nimirum unum sint Domini Corpus; ita unam obedientiam toti Presbyterio debetis, quod in unum Corpus ex Episcopo, Presbyteris, ac Diaconis coalescit.

Brevissime me expediam: Presbyteri sunt ut Consessus Dei, & ut conjunctio Apostolorum, dum non discrepent ab Episcopo, & quod ille docet, doceant ipsi, & sic dicetur jure: Ecclesiam pasci ab Episcopo, & Presbyteris; illo præcipiente, his exequentibus, illo doctrinam tradente, his communicantibus. Quot alias in uno ovili Pastores, quot in una cathedra Magistri? Ad alterum satis patet ex dictis: similitudines sunt apte accipiendæ: Jure divinam, & a Spiritu S. profectam dicimus & nos, illam Ignatii vocem, qua jubemur, obedire Episcopo, & Presbyteris; Unum quippe est illud Mandatum, sed ab Episcopo profectum per Presbyteros evulgatum, in quod mandatum consentientibus utique animis, Spiritu Dei agente, Episcopus, & Presbyteri conspirarunt. Interpretatio autem illa Theologi nostri nisi benigne accipiatur, magnum ipsi odium conflabit: *Unam obedientiam?* Teneo; utique Episcopo, & Presbyterio unum, sed quo diximus modo, tradentibus; scilicet purpureæ vesti in Rege Regis ergo cervicem inflectimus, & procumbimus.

Quod

Quod tandem ſubjicit ex Epiſtol. ad Polyc. ſcilicet ut Presbyteri, & Diaconi collaborent Epiſcopo ut Dei œconomi, aut diſpenſatores, ut Adſeſſores, ut Miniſtri, & exinde infert Theologus noſter *omnes* indivulſo ſtudio, & ſancta ſocietate *collaborent*. Quid quæſo ſuſceptam cauſam juvat? Quis otiandum dixerit Presbyteris, & Diaconis? At ut Adſeſſores? Credo hic Theologi noſtri menti obverſatos Præſidum Provinciarum Regni Adſeſſores, ſine quibus Præſides decreta non condunt. Hos ſi ita accipit, deſtruit antecedentia Ignatii verba, & refellitur ex ipſo Ignatii, quem ſupra poſuimus, ſenſu. Sint ergo adſeſſores, qui adſtent Epiſcopo, & juſſa excipiunt, exequantur, promulgent.

Video me longiuſculum fuiſſe in Ignatii intima ſenſa penitus intrando; at longiuſculum fuiſſe non me pœnitet; id enim tanti Viri dignitas a me poſtulabat, cujus in aliam ſententiam congeſta permulta teſtimonia detorquebantur.

§. IX.

§. IX.

SUMMARIUM.

1. *Polycarpus, & Irenæus, quos objicit Theologus noster, non sunt nobis contrarii.*
2. *Insignis Epistola Ecclesiarum Viennensis, & Lugdunensis Theologo nostro non suffragatur;*
3. *Nec Justinus, & Tertullianus.*
4. *Clemens Alex. & Origenes sententiæ nostræ non adversantur.*

A pag. 23. ad 29.

1. ADducitur Polycarpus Epistola ad Phil. *Subjecti estote Presbyteris, & Diaconis, sicut Deo & Christo:* subdit Theologus: *Ne quis vero mutilum hic miretur Presbyterium truncato capite Episcopo, meminerit primis illis Ecclesiæ sæculis Presbyteri nomen utriusque Ordinis Antistiti communiter tributum.*

Optima monitio, & utinam nostris temporibus debitus Sacerdotibus, & Ecclesiæ Ministris esset ab iniquis plebibus honor delatus. Etenim in tantum malorum non esset deventum. Siquidem Presbyteri, & Diaconi Dei, & Christi causam communiter agunt; hos qui accipit, & audit, Patrem Deum & Christum in Spiritu S. audit. Hos vero, qui spernit, Christum spernit. Liquet ex Evangelio. Quod suadet Theologus de non nominato hic Episcopo, revoca ad id, quod supra posuimus, cum demonstravimus priscis temporibus duplicem plerumque Ordinem scilicet Episco-

sco-

ſcopalem , & Sacerdotalem uni perſonæ fuiſſe collatum.

Ad Irenæum vero quod attinet, nonne ipſe Textus indicat nomine Presbyterorum, per quos Traditiones tranſmiſſæ memorantur, Epiſcopos intelligi; cum et illi jungantur Apoſtolis, & Apoſtolorum *Succeſſores* dicantur? At Sacerdotes etiam intelligi ſub nomine Presbyterorum, inquit Theologus. Sed satis de his ſuperius diſſeruimus; hinc vellem, ut tandem adverteret non repugnare eadem vocabula ampliori ſignificatione pluribus; ſtricta autem & propria uni tantummodo convenire. Ecce Apoſtolus dicitur Chriſtus in Epiſtola ad Hebræos; Apoſtoli dicuntur *duodecim*, qui tali vocabulo communiter honeſtantur Matt. X. Luc. VI. &c. Apoſtoli dicuntur etiam BARNABAS, PAULUS, ANDRONICUS, JUNIAS, aliique plures Cor. I. Epiſcopus item appellatur Dominus I. Pet. Epiſcopi vocantur, qui Eccleſiam regunt, & conſtituunt Presbyteros, Presbyterum ſe appellat Petrus Epiſtol. I. item Joannes Ep. 2. & 3.

Tu ubi Presbyteros audis, mente recurris ad Presbyteros noſtros. At diſtingue tempora. Romæ PRÆTOR olim commune fuit nomen omnium majorum Magiſtratuum, qui jure & exercitu præirent, ut ſcribit Varro. Unde & *Prætorium* in caſtris, ubi erat tabernaculum Imperatoris, & Prætoria porta, cohorſque Prætoria, Poſtea vero vox illa *Prætoris* facta peculiaris in cujuſdam Magiſtratus tranſiit vocabulum. Nec recte ratiocinaretur, qui ex eo, quod illos, qui Conſules poſtea dicti ſunt, olim Prætores vocatos eſſe legeret, ut nominatim Feſtus adnotat, concluderet

eun-

eundem apud Romanos fuisse Prætorem, & Consulem. Non dispar est ejus ratio, de quo modo agitur. PRESBYTER, quo dignitatis, & honoris dumtaxat appellatio est, utrique communis fuit, hoc est primo, & secundo ordini, sive in eadem persona reperirentur, sive diversis. Quemadmodum etiam *Sacerdotis* nomen utrique Ordini tributum est, ac diutius in primo constitit, quam *Presbyteri*. Nam *Presbyteri* vox tandem in solo resedit Ordine secundo, *Sacerdos* in primo perseveraret, nec minus tamen ad secundum pertineret. Vide Petavium hic.

Quod autem addit: *Secundi* gradus Sacerdotes acerrimos extitisse Apostolicarum Traditionum assertores, ut in causa Samosateni, & Nestorii, non video quid inde. Sed de hoc pluribus infra, ubi de hoc iterum Theologus noster.

2. Dum expendo, quod ex Epistolis Vienn. & Lugd. Ecclesiarum pro causa sua depromit momentum Theologus noster, videre mihi videor miserrimum illum, qui apud Comicum cibum ex flamma petebat, & carbones assatarum carnium vice sumebat. Presbyteri Epistolam dederunt: *Presbyteri persecutione grassante, sollertia, & sollicitudine mirabili animos infirmis addebant, labantes confirmabant, lapsos erigebant; Confessoribus in vincula conjectis, ne quid eis, sive ad Animam, sive ad Corpus spectans solatii deesset indefessi consulebant*. Teneo, scio, laudo. At quid inde? *Hoc quid aliud quæso*, inquit Theologus noster, *nisi Dominicum Gregem pascere, tutari, sive ut Christus præcepit, pro ovibus animam ponere? Quod cum, Episcopo præeunte, Presbyteri quoque præstarent,*

rent,

vent, nonne consequitur eosdem communi consilio, & opera Ecclesiam administrasse?

Fateor me hujusmodi Dialecticam penitus ignorare. Sit hoc *pascere*, & festive jocetur Sannazarius in Platinam, qui post Vitas pontificum scripserat de re culinaria: *Hoc vero est ipsos pascere Pontifices*. Sed ad sensum, de quo agimus. Ergo ne Missionarios, qui has nostras regiones immortalitatis satores percurrunt, cibo spirituali, corporali quoque eleemosynis scilicet populos recreant, jus pascendi dices cum Episcopis partiri? Presbyteros nostros quot novi carceres adeuntes, ex defraudato suo ventre escas miseris ibi detentis parantes, & animam suam pro his non solum paratos ponere, sed revera ponentes (utinam ut insipiens loquor, domi meæ non extitisset hoc virtutis exemplum) hos tamen dices in eo, quem accipis sensu, Pastores? Sacerdotes illos, quos peste grassante socios in pietatis opera magnus ille Borromæus & vocaverat, & sibi adsciverat plebem gubernasse communicato regimine pastorali cum eomet Borromæo affirmaris? Nihil minus.

At cur nulla Episcopi in illa epistola mentio? Tu persecutione sæviente ordinem requiris? Quid si Sedes vacabat? Quid si persecutio nominatim in Episcopos furebat? An non tunc licitum fugere? Notissima est Athanasii pro fuga sua Apologia; notissima Cypriani, Basilii, aliorumque quamplurimorum exempla.

Ex his patet responsio ad Marcionis factum. Vacante sede Presbyteri Ecclesiis necessitate exigente non consulent? Tunc profecto obtinet, quod Cicero absenti cuidam Senatori perturbata

Republica ſcripſit: *Tu Conſul, tu Reſpublica, tu Senatus*. Piget in his immorari.

3. Ex Juſtino, & Tertulliano cauſæ ſuæ præſidium arceſſit Noſter. Veteres enim ſacræ Synaxis ritus exponentes illius Præfecturam Presbyteris tribuunt, quos *Præſidentium* nomine condecorant.

At ex dictis facilis ad hæc reſponſio eſt. Et primum ſciendum nomine *Præſidentium* ibi Parochos intelligi, ut infra demonſtrabimus. Deinde diſciplina illorum temporum ferebat, ut Epiſcopi Euchariſtiam conficerent; nec ſimplicibus Sacerdotibus id licebat, niſi abſente, vel jubente Epiſcopo. Non ſemel id ex probatiſſimis teſtibus ſupra evicimus. Ergo *Præſidentes* illi vel Parochi, vel Epiſcopi erant, prout nominatorum PP. verba poſtulant. Advertimus paulo ante Theologum noſtrum nulla habita ratione temporis, ad noſtros Presbyteros transferre, quæ de vetuſtis Præsbyteris in antiquis monumentis commemorantur.

4. Clementem Alexandrinum, & Origenem ſententiæ ſuæ patronos agnoſcit Theologus noſter. Primus pulcherrimam inſtituit comparationem cæleſtem inter, ac terrenam hierarchiam; cumque hæc poſterior ſuperiorem imitetur, neceſſe omnino eſt, ut quemadmodum de cæleſti ſcriptum eſt: *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi creatis rebus adminiſtrandis*; ſic & terrena hierarchia Epiſcopis, Presbyteris, ac Miniſtris conſtans tota ſimul Eccleſiæ procurationi ſit mancipata. Idem evincitur ex altera ſimilitudine, qua civilem politiam ad Eccleſiam transfert. Et ſententia eo redire

vi-

videtur, ut ſicuti in humana Republica quidam imperant, ferviunt quidam, ſic in Eccleſia principentur Presbyteri, miniſtrent, ac ſerviant Diaconi. Principatus porro ſine rerum adminiſtratione conſtare minime poteſt.

Quam frigida intentat Clariſſimus Vir! Quis in dubium revocavit totam terrenam hierarchiam Eccleſiæ procurationi eſſe mancipatam? Audivimus ſupra Auguſtinum: *Quod Chriſtiani ſumus propter nos eſt; quod Epiſcopi ſumus, propter vos eſt*. Et non ipſe Summus Hierarcha magno ſibi ducit honori, *Servus Servorum Dei* ſi vocetur? Omnes Eccleſiæ Miniſtri dum Deo ſerviunt, principantur. Ac ſi comparationem illam cæleſtem inter, ac terrenam hierarchiam recte procedere volumus, ut debemus, oppoſitum prorſus evincitur. Ibi Angeli ſuperiores inferioribus divina nunciant mandata, illos mittunt, illis resiſtunt, ut apud Daniel. *Princeps Regni Perſarum viginti, & uno diebus alteri Angelo reſtitit*. Ita et hic Presbyteros illuminant Epiſcopi, edocentque, tantum abeſt, ut hos in Fidei controversiis ſocios agnoſcant; illos quæ agenda ſunt agere jubeant; nihil hi (quod ex Ignatio ſupra audivimus) sine Epiſcopo queunt moliri.

Nec felicius Theologo noſtro adſpirat altera ſimilitudo, & e via excidit ille dum infert, quod sicuti in humana Republica quidam imperant, ſerviunt quidam &c. dixiſſet: Principentur Epiſcopi.

Alter nempe Origenes Homil. 7. in Hierem. *Nos*, inquit, *qui putamur aliquid eſſe*, ideſt, *qui in Clericatus vobis ordine præſidemus*. Erat Presbyter: Προςασία igitur ex Origene Presbyte-

sbyteris convenit. Iterum Tract. V. in Matth. de Sacerdotibus agens allegoriam oculi usurpat. Cur nisi quia totum Ecclesiæ corpus a Domino tuendum, conservandum, gubernandum suscipere, nisi quia per eos, uti sequitur, *Opera spiritualia universa geruntur*. Denique Tract. 24. in Matth. Presbyteros Apostolis miscet.

Verum quid magni est dicere Sacerdotes præsidere his, qui sunt in Clericatu? Quid illud *præsidere*, nisi illis excellere, illis esse majores? Quid *præsidere*, nisi sedere ante alios? Præsidere quoque dicuntur Magistratus cum officio suo funguntur, Sueton. in August. Cap. 35. An non subsunt Sacerdotibus in Ecclesiasticis functionibus minores, imo & majores Clerici? Quod si illud *præsidere* velis strictissime accipere, dicas oportet quisnam sit in Ecclesiastico regimine Episcopo locus.

Origenem porro totum in allegorias effusum, & in loco, ut ipse Noster fatetur, allegorico Presbyteros Apostolis miscentem, quis dixerit firmum posse Doctori cuncta ad theologicum rigorem exigenti argumentum suppeditare? Satis ex dictis apparet quænam sint Præsbyterorum partes, neque in simplices, sed in majores Præsbyteros hic digitum intendisse Origenem mihi persuadeo, cum solos Episcopos Apostolorum successores tota vocaverit Antiquitas, eosque Apostolis jungere consueverit.

§. X.

§. X.

SUMMARIUM.

1. *A Canonibus Apostolicis sententia nostra non metuit.*
2. *Non mediocriter tamen illi incommodant Theologo nostro.*
3. *Antiquissimorum, in quibus hic versamur, temporum usus, & praxis Ecclesiæ, Theologo nostro repugnant.*

A pag. 29. ad 30.

1. CAnonibus Apostolicis principem in hac testimoniorum prolatione se locum fuisse daturum, si inconcussæ illi auctoritatis essent, testatur Noster. Verum quoniam, & probatæ antiquitatis habentur, atque ad hæc tempora, in quæ disputando incidimus, possunt reduci, seligit ipse Canonem 57. qui sic: *Episcopus, vel Presbyter, qui Cleri, vel Populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, segregetur, & si in socordia perseverat, deponatur.* Item Can. 34. quem ex primigenio idiomate sic ad verbum reddit: *Sed nec Episcopus quidem ille præter omnium sententiam quidpiam agat:* sic enim concordia constabit, ac glorificabitur Deus per *Dominum in Spiritu Sancto.*

2. Plusculum honoris tribuunt Eruditi 50. prioribus illis Canon. App. quos etiam latine vertit Dionysius Exig. Ea ibi habentur, quæ nullo pacto stare possunt cum his, quæ Theologus noster affirmat. Horum tricesimus ita constituit: *Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus ha-*

 beat,

beat, & ea velut Deo contemplante dispenset &c. Can.40. *Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent, nam Domini Populus ipsi commissus est.* Can.41. *Præcipimus, ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros, & Diaconos, & cum timore omnique sollicitudine ministrentur.* Quin etiam in Can. 47. 49. 50. *Episcopis præscribunt quædam in ministratione Baptismi observanda.*

Ast quid tandem in eo, quem invocat Can.57? Non plus, ac si diceres: Episcopus qui Cleri, Parochus qui Parochiæ curam non gerit, & pietatem non docet, deponatur. An Episcopus, & Presbyter eodem modo, eodemque jure curam gerunt? An non constat animadvertendum in eum, qui muneri suo non respondet, quæque vi professionis suæ curare tenetur, otiosus, vel improbus negligit?

Cedro dignus Canon 34. optimum, & omni veneratione dignum exhibet consilium; consilium tamen. Non, inquies, sed mandatum, sed præceptum. At si sic accipies in Presbyterianorum castra confugies.

3. Præterit Theologus noster Clementem, præterit Hermam, ut concitato gradu ad magnum contendat Cyprianum. Currat egregius cursor; ocior & ventis, & fulminis ocior alis currat, dum ego lassus viarum tantisper subsisto. Et quoniam advocavit ille Canones App. quia pertinent ad hæc tempora, in quæ disputando incidimus, operæ pretium aliquod me facturum arbitror, si

anti-

antiquissimorum, in quibus versamur, temporum usus, & Ecclesiasticæ disciplinæ ratio quid hac de re edicant, maxima, qua fieri potest brevitate, proponam.

In Constitutionibus Apostolicis Lib. 2. Cap. 2. habemus Episcopum præesse omnibus hominibus: *Stude, o Episcope, purus esse utpote qui inter homines exemplar habes Deum hoc ipso quod omnibus imperas hominibus, Sacerdotibus, Regibus, Magistratibus* &c. Dionysius Alexan. Episcopus apud Eusebium Lib. *6*. Cap. 34. *Scribit se Presbyteris præcepisse, ut lapsis sub exitum vitæ communionem darent.* Idem Epist. *69*. Magnus Cyprianus, ad quem Noster adproperat, confirmat. Ibi vocat Episcopum *judicem a Deo datum, & Ecclesiæ gubernatorem. Ibidem schismata, & hæreses inde obortas esse, & oriri dicit, dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur.* Hæc pauca ex Cypriano, de quo pluribus infra. Chrysostomus hom. 3. in Epist. ad Coloss. tribuit *Episcopo dignitatem, præsidentiam*, (ut ita dicam) *Thronum, summæ insigne, potestatis*, vim, & auctoritatem, *qua ad coercendum, & cogendum utantur.*

Canones veterum Conciliorum, & usus Ecclesiæ per idem tempus idipsum confirmant. Etenim disciplina omnis Ecclesiastica, Clericorum, & Ordinum omnium gubernatio, pœnarum itidem modus, & pœnitentiæ functio, ac jus denique ad Sacramenta percipienda, & eorum administratio decretorum Synodicorum auctoritate passim in Episcopos confertur. Consule Canones Nicenæ Synodi 5. 11. 12. in quibus repræsentandæ com-

munionis poteſtas Epiſcopo tribuitur, ut pro arbitrio legitimum tempus vel contrahat vel proſroget iis, qui pœnitentiam obeunt. Epiſcopo inquam, in cujus voluntate situm eſſe dicit Can.8. *Ut Epiſcopis ad Catholicam partem ab hæreſi tranſeuntibus Epiſcopalis dumtaxat nominis dignitatem permittat.*

Sic Laodicenum Can. 19. Pœnitentium curam Epiſcopo mandat, & Can. 57. Presbyteris præcipit, ut nihil sine conſenſu Epiſcopi gerant. Ancyrana quoque Synodus Epiſcopi judicio relinquit pœnitentiæ modum, quo uno in Cardine Sacramentorum, & Communionis Eccleſiaſticæ ſumma vertitur. Can. 15. bonorum Ecclesiæ curam ac poteſtatem eidem committit Epiſcopo. Gangrensis item Synodus, quæ Nicænam anteceſſiſſe creditur, anathema dicit iis, qui oblationes Ecclesiæ citra conſenſum Epiſcopi dare, aut accipere ausi fuerint.

Hæc in unum collegi eo animo, ut facile cognoſcatur Ecclesiæ, in illis temporibus usque ad Chryſoſtomi ætatem, in qua nondum innovationibus patuit acceſſus, de Epiſcopi poteſtate judicium; quæ si vera sunt, nos a Theologi noſtri ſententia longe abducunt.

§. XI.

§: XI.

SUMMARIUM.

1. *Neque ex verbis, neque ex factis Cypriani oppositæ sententiæ robur conciliatur.*
2. *Quoscumque honoris significationes Clero suo SS. Martyr exhibuit, non jus imperavit, sed singularis illius caritas, & Christiana animi demissio postularunt.*
3. *Ex his quæ habet Cyprianus in causa Lapsorum nihil contra nos.*
4. *Refelluntur, quæ Theologus noster contra superius posita, declamat.*

A pag. 30. ad 42.

1. ME quoque de magno Cypriano acturum præfari nonnulla juvat, ne justissimis, quas in eum confert laudationibus Theologus noster, ingrato silentio videar detrahere. Magnus plane Vir Cyprianus, & omnium sæculorum prædicationibus, admirationibusque dignissimus, potens operæ & sermone non modo Africam, sed totum Orbem sapientiæ suæ radiis illustravit. Ecclesiasticæ disciplinæ assertor acerrimus, idemque fortis per omnia, & impavidus athleta Catholicam Fidem, pro qua tam nervose pugnaverat, Martyrii palma condecoravit. Nefas ducimus ab ejus sensu in hac causa discedere.

Oramus, dignetur Theologus noster, ut quæ paulo ante ex Cypriano attulimus de Episcopi dignitate, & potestate cum his quæ Presbyterio ipse defert

desert conferat, & hæc an illis positis stare queant severe examinet. Illius tamen judicio utroque pollice probamus.

Ego quidem arbitror supervacaneum omnino esse longa disputatione hæc permulta, quæ tot paginas Cyprianica implent verba, & facta discutere, quove sensu illa accipienda sint, demonstrare, cum ipse SS. Præsul evidentissime mentem suam aperiat in primo hoc testimonio, quod recitat Theologus noster, in quo Cyprianus palam edicit: *Se ab initio Episcopatus sui statuisse nihil sine consilio eorum, & sine plebis consensu sua privatim sententia gerere* Epistol.5. Si ipse *statuit*, jam non jure cogente, sed voluntarius eligit; juri obedimus, nihil ipsi dum jura loquuntur pronunciamus. Parendum est. Quid novi attulisset hic Cyprianus, si Ecclesiæ regulis cautum esset nihil Episcopos aggredi debere sine Presbyterio? Quas nugas vendidisset, si quod jubebatur, & nulla via poterat declinari, ipse ludificator mirificus in suum rejecisset arbitrium, & magni beneficii loco apud Clerum voluisset adponi cum illo suo *Statui*? Hæc quo tendant facile vides, doctissime Vir & verba ipsa te monent: *Sine consilio eorum* (Presbyterorum) *& sine Plebis consensu*. Hem! Plus Plebi quam Presbyterio. Illius *consensus* hujus postulatur *Consilium*? Immane quantum consilio antistet consensus.

Sentit Noster; hinc continuo subdit: *Quid valuerit ille Plebis consensus infra videbimus*. Fidem liberat pag. 37. ubi tria vult nobis rata esse & fixa. 1. Nullo mandato divino præscriptam Plebis vocationem, quia alias Ecclesia nunquam quidpiam contra jus divinum ausa foret.

2.

2. Diversa plane ratione Presbyterium ac Plebem convenisse, ut Plebs nimirum testimonio, Clerus judicio suffragaretur. Et Cyprianum affert cit. Ep. ajentem: *Instruit & ostendit Deus ordinationes Sacerdotales non nisi sub Populi assistentis conscientia fieri oportere, ut Plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa, quæ omnium suffragio, & judicio fuerit examinata.* In quem locum Natalis Alexander Histor. Sæc. I. Dis.8. Sic: *distributive accipienda sunt illa verba, ut suffragium, sive testimonium pertineat ad plebem, judicium vero ad Clerum & Episcopum.*
3. Ideo Lapsorum causam apud Plebem quoque convocatam actam fuisse, *ut nimirum quorum defectione offensi fuerant, pœnitentia erigerentur . . . . . Ut qui testes criminum fuerant, emendationis itidem dicerent testimonium.*

Doctissime Vir, si licuit tibi nodum hunc, qui satis adstringit, ex illa Plebis vocatione laxare, & dissolvere, & laqueum hic paratum evadere, cur & non licebit nobis a te edoctis eadem ad Presbyterii hujus consensum vel delendum, vel eo, qui non incommodat sensu, accipiendum? Et quoad 1. Est ne ad manus illud divinum mandatum quo hujusmodi præcipiatur consensus? Est, dices. At ubi? In quibus tabulariis asservatur? Et si est, dic quomodo Ecclesia ausa fuit tantum contra hoc divinum mandatum in causa Presbyterorum, quod, te judice, in vilis popelli causa nullo pacto esset ausa?

Quod ad secundum ingeniosissime rimaris, at acutissime vides in Cypriano, quod lyncei oculi non viderent. Loco cit. vult Cyprianus ordinationes Sacerdotales nonnisi sub Populi assistentis

(& id

(& id quidem divina ordinatione: *instituit*, & *ostendit Deus*) conscientia fieri oportere . . . . . *Et sit ordinatio justa*, *quæ omnium* &c. Erit ergo injusta illa ordinatio, quæ omnium suffragio, & judicio non fuerit examinata.

Pietatem Natalis Alexandri opportune in auxilium venientis cum illa sua partitione distributiva commendamus. At obsecro nihil ne juris Plebi conciliat suffragium illud? Et tamen Tu ipse ubi supra de Mathiæ electione extremos Græciæ fines pervasisti, & pro *Sortibus*, quas habebamus, *suffragia* attulisti, & rem confecisse tibi visus, & Mathiam suffragiis omnium, qui aderant, Apostolico in throno collocatum nobis ostendisti.

Quid tertium obsecro? Versabamur in sacris ordinationibus, & tu ad lapsos mutato medio recurris? Sit plausibilis in Lapsorum causa hic Populi interventus, ut quorum defectione offensus fuerat ille, pœnitentia erigeretur. At quid hujusmodi in Sacris Ordinationibus?

Ergo non crude hæc accipienda. Adducemur alias quo nolumus, & popularibus ac tumultuosis factionibus cuncta fœdari patiemur. Quæ SS. & prudentissimi Viri peculiaribus in locis pro re nata, & diligenter perpensis moribus, indole, ingenio, & illa in primis qua fideles subditi intensa fervebant caritate faustissimo exitu peregere, hæc si ubique velis obtinere, & ad omnes transferas regiones, immane quantum publicæ rei creetur periculum, & horrenda quanta exinde consectaria emergant. Sed de hoc pluribus infra ubi de hodierna Ecclesiastici Regiminis forma, & sacris Electionibus se ultro ingeret disputandi occasio.

2.In-

2. Interim dicamus Cyprianum quieti, & publicæ tranquillitati egregie consuluisse de Episcopali suo jure dicedendo & plusculum Presbyteris suis deferendo. Ne mireris ergo (ut ad caput redeamus, & singula quæ affers retractemus) si rogatus Cyprianus ut suum proferret judicium de Philumeno, & Fortunato restituendis, rescripserit non posse se solum illi rei judicium dare, cum multi de Clero sint absentes &c. Id totum ad Cypriani referendum humanitatem. An alias Episcopalem auctoritatem vili plebeculæ prostituisset, cum & ibi rem hanc tractandam dicat non tantum cum Collegis suis, *sed & cum plebe ipsa universa?* Ceterum valeret argumentum, si Cypriano volenti Philumenum & Fortunatum restituere, obstitisset Clerus, seque inconsulto id attentandum non esse clamasset.

Vellem adverteret Theologus noster jungi ex Cypriano semper Presbyterio Plebem. Luculentissime id indicat communis fovendæ concordiæ causa SS. Antistitem, nullo jure cogente, in hæc descendisse.

At illud *Non potui?* Officii plenissima vox est, ut si velles me convivam adducere tibi, & penulam scinderes. Ego reponerem: non possum; vel si te rogarem, ne nimius esses in Confessionibus excipiendis, in libris versandis responderes: Non possum. Quis de absoluta hæc putaret accipienda potentia?

Eundem sensum accommoda sententiis, quas *Provisoria* dicis in Lapsorum causa, nisi jus ligandi & solvendi (quod nullus dixerit) velis ab Episcopali potestate remotum. Et quod sequitur de *manus impositione Episcopi, & Cleri* ne ad alie-

num

num detorqueas ſenſum, ne ſcilicet reponat aliquis invalide Diaconos inaugurari Sacerdotes, ſi Presbyterorum manus imponentium cum Epiſcopo præſentia deſit. Vides & hic *Univerſam Plebem* nominari. Tum in hoc quod de Pœnitentibus ſubjicis, obſerva ex Cypriano convocandos Epiſcopos *plures*. Et id quod urges Cyprianum non eſſe Cleri ſui in hoc negotio oblitum tu ipſe ad rem non facere dixeris, ſi rei, de qua agebatur, naturam expenderis.

Agebatur de Lapſis recipiendis; horum non unum genus. De his nec inter Epiſcopos, nec inter Presbyteros ipſos congruebat. Nimius in aliis rigor; alios nimia tenebat indulgentia; illi rejiciendos omnino clamabant; leviculas alii ſatisfactiones decernebant. An tu in tanta re ſolus pronunciaſſes, nec quis Romanæ, quis aliarum Eccleſiarum ſenſus eſſet, diligentissime exploraſſes? Non caviſſes, ne cui ſcandalum ingeneraretur, ne facilis, mollis, & præpropera remiſſio in perniciem Chriſtianæ rei, aliis (frequentes tunc erant) perſecutionibus ſævientibus incumberet? Quid ergo miraris, ſi prudentissimus Præſul id conſilii cepit?

Eandem prudentiam agnoſces in Clero Romano, quem nominas. Mirifice conſonans incomparabili doctori Cypriano me exhilarat illius Cleri reſponsio ad Cyprianum: *Placet* (ejus ſunt verba) *collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus pariter, ac ſtantibus laicis Lapſorum tractare rationem &c.* At Theologus noſter ſubdens: *Quam belle, quam præclare procedit hæc ratio! Ut tum* demum Eccleſiaſtica decreta firmitatem ſibi vindicent, ſi plurimorum ſint conſenſione *munita* non medio-

diocriter me conturbaret, nisi ſcirem illum intendiſſe digitum ad Gratianum dicentem : *Leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur* ; ſcilicet firmitate extrinſeca, non quia robore illæ deſtituantur, si subditorum desit acceptio, vel unius eas non ponat auctoritas ; alias nec Pontificis conſtitutio, nec Epiſcopi, si soli decernant, Sanctio vi potientur ſubditos ligandi. Scite autem Rom. Clerus sic loquitur ; nam cum de Lapsorum cauſa, ut paulo ante observavimus, in diverſas iretur ſententias, quid facto opus eſſet communi id conſtabilire consilio æquum videbatur, ut decisio cum plauſu exciperetur. Quod autem pertinet ad Chriſti Confeſſores Moyſem, Maximum, alioſque a Theologo hic relatos, in eandem hos ſententiam accipiendos, qui rem expenderit, non invitus affirmabit. Et quæ ſequuntur egregium nobis præbent chriſtianæ demiſſionis, ac modeſtiæ exemplum in tantæ ſanctitatis, ac doctrinæ Viro Cypriano, dum ſe alieni consilii neceſſitate teneri fatetur.

Mitiſſimum piæ Matris Ecclesiæ ſpiritum ægerrime ad pœnas deſcendentem, tum ejuſdem in promovendis ad Sacros Ordines diligentiam attendentes non mirabimur magnum Cyprianum, alioſque ſequentibus etiam Sæculis Epiſcopos, ubi de interdicenda agendum eſſet communione, tantam rem noluiſſe ipſos ſolitarios transigere. *Eſt enim anathema æternæ mortis damnatio, nec imponi debet, niſi illi qui aliter non potuerit corrigi Cap.* NEMO *XI. §. III.* Cumque nullus nisi plene discuſſus, ut loquitur Isidor. Offic. 2. debeat hac pœna mulctari, jure Epiſcopi, ne ex odio

aut

aut indignatione huc venire viderentur: crimina ob quæ erat tanta pœna infligenda volebant per plures discuti, & examinari; non ignorantes ceteroquin suum esse ad definitivam inde sententiam procedere. Nec illa Presbyterorum præsentia roboris aliquid sententiæ addebat, sed ad sollemnitatem, justum quoque terrorem ingenerandum erat non mediocriter opportuna.

Ad sacras autem Ordinationes quod attinet, utilissimum profecto fuit Eos ad Ecclesiæ ministerium adsciscere, quos Presbyterorum iudicium, & Plebis testimonium probaret. Multitudini non facile imponitur, & quod unus non cernit, videt alter. Utinam corrupti, & ex die in diem ad pravum declinantes mores, a vetusto illo ritu Ecclesiam discedere non coegissent, tum in excommunicationibus infligendis, tum in sacris Ordinationibus celebrandis; profecto nec tantum ipsi Ecclesiasticarum pœnarum ingemeremus contemtum, nec ipsa non undique sibi bonos datos Ministros Ecclesia deploraret.

At Cyprianus, ait Noster, *hujusmodi disciplinam ad primæva revocat Apostolica tempora*, imo ex divina auctoritate descendere putat Epistola 68. ad Clerum &c.

Nisi Cyprianum benigna interpretatione accipias, vide quo progrediaris. Ergo divini mandati prævaricatrix Ecclesia, quæ ab illa disciplina recessit? Pollutæ & illegitimæ (etsi non irritæ) omnes quotquot ab illa tempestate, qua memorata desiit disciplina, hucusque celebratæ Ordinationes? At neque Cyprianus id voluit, neque nos velle debemus; nec ad SS. Martyris horremus effatum ad divina magisteria rem hanc re-

vo-

vocantis, cum non omnia, quæ Christus gessit, neque quæcumque ordinarunt Apostoli, nobis præcepta censere debeamus, nec ipse Christus, vel Apostoli, quæ nobis præstantissima dederunt exempla, sub legis voluerunt inclusa rigore.

Hic Theologus noster altius insurgit, & solitæ benignitatis oblitus acerbissime excipit eos, qui indulgentiæ singulari Cypriani non ullius legis necessitati apponunt quæcumque SS. Præsul Presbyterio suo detulit: *Id enim vero* (sunt ipsius verba) *falsissime, aut ut levius dicam, temere affirmari contendo*.

Ne sævi pientissime Vir; ne totus in iras abi, alias castigabit Lucianus: *O Jupiter iratus es, victus es, ratio te destituit*. Sententia, in quam detonas, gravissimorum Theologorum auctoritati innititur, ratione, ut hactenus videre potuisti, fulcitur. At videamus, quomodo latam a te censuram nobis probes. *Qua ratione*, inquis, *id instituti Cypriano singulariter tribuemus, cum Cyprianus ipse testis sit hoc item Romæ, quæ Ecclesiarum omnium instar erat, amplissimum obtinere?* Et quis dixit singulariter Cypriano id instituti tribuendum? An uno Cypriano se tunc gloriari poterat Ecclesia? Nullus ne alibi SS. Episcopus, cui non veniret in mentem egregium, quod ceperat Cyprianus, consilium? An Episcopos omnes illo superbiæ, tumore inflatos suspicaberis, qui nihil cum Presbyteris suis communicatum vellent; solos se Magistros in Israel jactarent; nullius consilio se egere profiterentur? Hoc si affirmaveris, auream illam Ecclesiæ ætatem luteam facies; maxime improbos dices Episcopos omnes, qui Presbyteros, tales nimirum

Presbyteros propter eximiam suam virtutem omni dignos honore (quales tu ipse paulo infra in causa Samosateni, & Nestorii prædicas) adeo illiberaliter, & indigne tractassent. Non ergo singularis in divino illo suam Ecclesiam regendi more Cyprianus fuit. Præiverant ipsi alii quamplures. Romæ Cornelius non dissimili arte Ecclesiæ clavum regebat.

Quis non Firmilianum, quem nominas, laudibus ad cælum ferat, quia per singulos annos cum Episcopis, & Presbyteris in unum convenientibus, sedulo quæ, *curæ suæ* commissa erant, dispiciebat, ut si quæ graviora essent, communi consilio dirigerentur. Habes ergo Cornelium, habes Firmilianum Cypriani socios, nec poterat sapientius, suaviusque res Ecclesiæ publica tractari.

At Firmilianus ait *necessario id fieri*. Ad disciplinam *ecclesiasticam* id refert Cyprianus. Dicit expectare consilium, ac sententiam omnium nolle præjudicare, *& solus rem communem vindicare non audeo*.

Ut omnem tibi scrupulum evellas, adverte, & Firmilianum, & Cyprianum in his, quæ affers, loqui de Conciliis Episcoporum. Attende animum ad verba Firmiliani: *Episcopi in unum conveniamus*; Cyprianus post laudata verba immediate subdit. *Ideo stetur interim epistolis meis .... quarum exemplum Collegis quoque multis jam misi. Qui rescripserunt placere sibi, quod statuimus, nec ab eo recedendum esse, donec pace nobis a Domino reddita, in unum convenire, & singulorum causas examinare possimus*. Quinam Collegæ illi, ad quos scripserat

rat Cyprianus? Quinam rescripserunt placere sibi? Num ejus Presbyteri? Minime vero, sed Episcopi. Apertissimus sensus est, & nisi intelligimus, irascetur plagosus Orbilius, & ferulæ manum subtrahemus.

Age, expende de quanta re agebatur. Firmilianum non moror; piget tantum vulnus refricare. Hominem undique argumenta quærentem in perdita causa, quid miraris a se hac via temeritatis notam amolientem, & rem in communem consensum de more definitam rejicientem? Ad Cyprianum venio. Lapsorum discutiebatur causa, quæ sollicitos totius pene orbis Episcopos habebat, erat ne e Cypriani modestia illud maxime arduum negotium, spretis omnibus Episcopis, præjudicare? Sciebat doctissimus Vir, quodnam esset in tanta re consilium capiendum. Provisorie, ut ajunt, decrevit: Decretum (ex historia scimus) utpote a tanta sapientia, discretione, & caritate profectum omnes postea Episcopi probarunt, susceperunt, & executioni in sequentibus etiam temporibus scimus mandatum. Utinam & idipsum Lucifer Calaritanus sapuisset!

Non abnuo & illis conventibus Presbyteros adfuisse. Video id in Cypriano, Firmiliano, aliisque. Hos ab Episcoporum ore pendere mihi videre videor, veritati una cum illis testimonium perhibere; præire illos; hos fideliter sequi; damnare damnatos ab Episcopis, uno verbo tanquam discipulos Magistris adhærere. Et hoc sensu accipias Lucium ajentem Fortunatum, & Felicissimum non solis Episcopis judicatos, sed a Presbyteris, & Diaconis, nisi plura optatis habere velis, & Diaconos Presbyteris pares efficere.

 Ve-

Verum damnatos a Presbyteris errores Synodica ſcripta proclamant. Solis ne? Non; ſed cum Epiſcopis. Ergo commoda diſtributione id debemus accipere. Errores ſcilicet anathemate ab Epiſcopis, quorum jus erat, confixos, a Presbyteris improbatos quoque & anathematizatos. Sic paſſim audimus Arium a toto Orbe damnatum, & SS. Gebennenſis Epiſcopus Saleſius cum Calvini imagini ſubjectam vidiſſet Epigraphem:

Hoc vultu, hoc habitu Calvinum ſacra docentem
Geneva felix audiit;
Cujus ſcripta Piis toto celebrantur in Orbe,
Malis licet ringentibus:

Ipſe continuo correxit:

Hoc vultu, hoc habitu Calvinum inſana docentem
Geneva demens audiit
Cujus ſcripta Piis toto damnantur *in Orbe,*
Malis licet ringentibus.

§. XII.

§. XII.

SUMMARIUM.

1. *Contesseratio Cleri Romani cum Carthaginiensi nihil pro asserto a Theologo nostro Presbyterorum jure evincit.*
2. *In condemnatione Samosateni ut Antiochenorum zelum Presbyterorum suspicimus, & prædicamus, sic nullam horum jurisdictionem, refragante Theologo nostro, agnoscimus.*

A pag. 42. ad 44.

1. INgruente persecutione Cyprianus Dei monitu secessit. Hoc cum Romæ auditum, foret Romanus Clerus litteras sollicitudinis plenas ad Clerum Carthaginiensem dedit: harum summam habes hic apud Theologum nostrum. Subdit autem ipse: *Hæc uti a me recitata sunt, quid aliud probant, nisi Pastoralem curam in solidum a toto Presbyterio possideri, atque alterutrius partis negligentiam aut socordiam alterius studio, atque accuratione suppleri.*

Mira a genere in genus transitio; & quod necessitate cogente justum, laudabile, legitimum habetur, idipsum ad omne tempus velle transferre. Cæso in acie Imperatore, qui supersunt minores Duces, non arripient impigre, quæ illius erant munera? An exercitum prodent, & cuncta pessundari patientur? Mortuo Episcopo non moritur Ecclesia, imo tunc luculentius se exerit Presbyteralis potestas. Et quid tandem hic habemus? Nulla formidine deterreri;

 inter

inter gladios furentis persecutionis laborantibus adesse impavide, illos hortari; carceribus detentos invisere, ad fidei in tormentis confessionem inflammare; nonne hæ Presbyterorum vel præsente, vel absente Episcopo partes? Quanto magis hæc, & alia hujusmodi Sede vacante in Presbyteros ex vi sacræ Ordinationis incumbent? Viduatæ Ecclesiæ mœrorem solari; videre, ne quid detrimenti grex capiat, cujusnam, nisi Presbyterii erit? An dum Presbyteris asserta jura denegamus, stipites illos, & truncos facimus, otiosos, & inutiles fingimus? Nihil ne sibi vindicat Sacerdotalis character? Et tamen omnia, quæ commemoravimus, illius sunt consectaria.

Ceterum animadvertimus in iisdem vetustis monumentis viduatæ Ecclesiæ Clerum id moris habuisse, ut majora quæque negotia futuro Episcopo intacta servarentur. Ita Clerus ipse Romanus: *Quamquam nobis differendæ hujus rei major necessitas incumbat, quibus post excessum Fabiani nullus est Episcopus propter rerum, & temporum difficultates constitutus*. Et infra: *Ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, ut interim, dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso, eorum causa teneatur, qui moras possunt dilatione sustinere*, Epist. 31.

2. At ecce novum pro Theologo nostro argumentum, quod & paulo ante posita confirmat, & de asserto Presbyterii jure dubitare non sinit. Presbyteri in faciem restiterunt Episcopis suis, cum fidem illi labe factare sunt aggressi. Exhibet id in Pauli Samosateni, & Nestorii causa. Papæ! Qualis, & quantus Presbyterorum zelus! Qui mo-

tus, quæ sollicitudines, quales pro fide tuenda exantlati labores! Quæ pericula illos non adire, quot casus non formidare? Sed cur tanta? *Nimirum quia Pastoralem, quam conjunctim ad id temporis subjerant, totam in se conversam arbitrati sunt*. Fusiori stilo insignia huc spectantia monumenta deducit Theologus noster. Memorat Synodos horum occasione habitas: in his jus suffragii definitivi etiam in causis dogmaticis Presbyteris asserit Pag. 47. Ephesinæ Synodi ipsius id auctoritate confirmat: concludit, *sanctissimo sapientissimoque consilio factum esse, ut singulæ Ecclesiæ Presbyterio instruerentur, nempe ut si quid humani Pastores aliqui paterentur, haberent in lectissimo Senatorum concilio, & Pastores ipsi ad resipiscendum monitores, & Ecclesia præsidium, ne quid interim detrimenti majorum ruina pateretur*.

Excidimus e via, & jure cogente factum, quod sola voluit officiosa voluntas, semper arbitratur Theologus noster. Ultro concedimus SS. Episcopos sub tanto onere, quale est animarum regimen, gementes, Christiana humilitate impellente, Presbyteros in sollicitudinum partem vocasse; hos tunc conjunctim cum Episcopis pro gregis custodia advigilasse. Ne tamen eo avoles, ut putes Presbyteros veluti frænum Episcoporum ori indictos, ut eos in officio continerent; ut iis monitoribus illi, si quid humani paterentur, resipiscerent, haberetque in ipsis præsidium Ecclesia, ne quid exinde caperet detrimenti.

Hoc quid nisi constituere discipulos super magistros, filiis parentes subjicere, Episcopalem, quam ex variis, quæ supra recitasti, SS.PP. testimoniis,

Apostolicam dicimus auctoritatem evertere, & non sub Episcopo, ut dictitabas, sed supra Episcopos Presbyterorum collocare potestatem, eamque non obnoxiam (ut ad omnem declinandam invidiam dicebas) Episcopali agnoscere, sed supra illam longe altius attollere?

Venio ad id quod urges: finge tantisper Presbyteros, quos memoras, nullis penitus ex assertis juribus tunc potitos; tales extitisse, quales sunt hoc tempore apud nos, qui nec sciunt, ubi Episcopus degit, ab omni ejus consortio longe remoti; qui in Ecclesiasticum Regimen influunt non minus ac ego, & tu in Mexicanas, vel Peruanas Provincias influimus; age dic sodes tantum Fidei periculum otiosi innoxie adspexissent? Nullæ ne vi Sacerdotalis muneris in eo casu illorum partes? Canes muti ad lupum venientem, & mactantem ne latrassent quidem? non eos ut avitæ doctrinæ proditores, Fidei perduelles traduxissent; non vicinis Episcopis detulissent, maxime cum tunc (utinam semper stetissent) Provinciales Synodi essent frequentissimæ. Magnum piis quibusque commovendis Fidei periculum! Restitissent optimi Presbyteri summo ipsi Ecclesiæ Hierarchæ, si (quod nefas est dicere) talia peccassent. Consule teipse pag 71. ubi de Anastasio. Non inferes tamen inde Presbyteros illos Primatum Pontificium fuisse cum Pontifice partitos. Illis jus aliquod in Primatum non adjudicabis.

Quid his amplius egere optimi illi Presbyteri? Idipsum quod nos omnium minimi & nullo (talis est temporum conditio) Ecclesiæ loco positi ageremus. Omnia nostris personarent clamoribus;

nullus

nullus querelarum finis. Advolant nominatissimi illi Presbyteri ad Synodos; accusant; testes Episcopalis probri se sistunt (nil enim aliud Malchi factum, quod te commovet, probat). Episcopi in Synodis coacti Sententiam ferunt: Presbyteros collaudant. Laudaverant & ipsi, ad quos rumor ille pervenerat, Romani Pontifices.

§. XIII.

SUMMARIUM.

1. *Solvuntur, quæ ex Ephes. Synodo Theologus noster pro suscepta causa deducit.*
2. *Item quæ ex duobus Eusebii Cæsaræensis monumentis.*
3. *Theologus noster eo, quo non debet progreditur.*
4. *Neque Hilarius, neque Magnus Basilius ei suffragantur.*

A pag. 45. ad 48.

1. QUæ hactenus posuimus non satisfaciunt Theologo nostro. Majora adprecatur, & vult Presbyteris illis, & ex Nestorii damnatione in Ephes: œcumenica Synodo clamat vindicandum Presbyteris *jus suffragii, & quidem definitivi in ipsis generalibus Conciliis, immo etiam in causis dogmaticis.*

Me miserum! Errasti Pie, infelicissime Pie VI. Errasti in male ominatæ Pistojensis Synodi proscriptione. Ast tu, doctissime Vir, quo teste, quibusque tabulis tanta confirmas? *At tibi Ephesina,* in-

inquit, *Œcumenica Synodica Epistola sua ad Clericos, & Œconomos Ecclesiæ C. P. data, qua eos de Nestorii abdicatione certiores facit, & Ecclesiam, resque Ecclesiæ commendatas esse jubet ad novi Pastoris usque inaugurationem.* Bono animo jubet me esse Epistola hæc. Non aderant ergo S. Synodo Clerus, & Œconomi C. P. quandoquidem oculati testes ipsi totius rei gestæ extitissent, nec depositionis Nestorii, & earum rerum, quæ inde necessario sequi debebant, opus fuisse eos per Epistolam facere certiores.

At adfuerunt aliqui; imo & multi; non repugno. Certe totum non aderat C. P. Presbyterium. Ecce, subdit Theologus noster, Epistolæ ἐπιγραφην: *Sancta Synodus, quæ per Dei gratiam convenit dilectis & desideratissimis comministris C. P. agentibus, & religiosissimis ejusdem civitatis Presbyteris, & Diaconis.*

Hos non comministros modo, sed etiam Concilii *membra* appellat. Justum, & rationabile elogium; præiverant hi Presbyteri confessioni Concilii; Concilio adhærebant; non vulgaris erant Ecclesiæ pars universalis, quæ per illud generale Concilium repræsentabatur. Quidni *Membra?* Nonne nos omnes membra sumus in Christo? nonne unum corpus? nonne ejusdem fidei professione Corpori Christi omnes inserimur? Justissime, sapientissime, prudentissime Concilium has amoris, & grati animi significationes optimis illis exhibuit Presbyteris. Jure *Comministri* vocantur. Memoris animi & pro bene navata opera plaudentis vox illa est. Summi Ducis re bene gesta gregarios milites vocabant *Commilitones*

suos;

suos; hac nempe voce illos sibi promerebantur; dictisque magis audientes in posterum reddebant. Vide Farnab. ad Lucani Phars. Lib. 8. ver. 612. Ubi Pompejus (quantus Imperator!) cum jam procul a sua triremi avectus in parvo navigio, in quo fuerat exceptus, Septimum olim gregarium suum militem, nunc Romanæ militiæ desertorem, Phariis in armis militantem fuisset intuitus: Non ego te, inquit, Commilitonem meum agnosco? Erat igitur in more positum institutoque eorum, qui præerant, per quasdam gratas voces auribus servire sibi subiectorum, ut eos magis sibi allicerent, & traherent, eorumque animos magis excitarent & confirmarent.

At subdit Theologus: *Erant hi Presbyteri membra Concilii non actu quidem, nam a Concilio aberant; ergo jure; locus quippe, quem in Hierarchiam obtinebant, jus illis certe tribuebat, ut cum Episcopis & adessent, & judicarent.*

O peracutam Dialecticam! A Concilio non bidui iter, sed longissime aberant, & *quia locus, quem in Hierarchia obtinebant, jus illis certe tribuebat, ut cum Episcopis adessent & judicarent,* idcirco *Membra Concilii dicuntur?* Sed hoc erat demonstrandum. Hoc in quæstionem venit; de hoc tota est contentio. Tu ex officioso minimo verbo tanta deducis.

3. Sed ad duo, quæ ex Eusebio Cæsar. profert monumenta, nunc respondeamus. I. est ex Lib. 6. Hist. ubi: *Theotistes, & Alexander Episcopi, cum prærogativis supremoque honore dignum Origenem probavissent, ei manus, ut Presbyterio fungeretur, imposuerunt.* Exclamat noster: *Vide quanta insiederit his præstantissimis PP. Sacer-*

dotii

dotii opinio, ut illud ſupremi in Eccleſia honoris nomine appellent, quo neſcio quid dignius de Epiſcopatu ipſo dici queat, quem ſupremum apicem nominare moris eſt. Sacerdotii dignitati commendandæ impar est omnis eloquentia : ſacerdotio nulla major in Ecclesia dignitas: ſi SS. PP. hoc nobis non dicerent, ſolus Catechismus Romanus, quem centum Theologis præponimus, nos doceret abunde. At nihil magis apud SS.PP. pervulgatum. Ignatius, Augustinus, aliique affirmant Sacerdotium eſſe præstantiorem gradum, ad quem possit mortalium aliquis elevari.

Verum est Theologis compertum hæc accipienda eſſe de Sacerdotio, quatenus duos diversos ordines complectitur, alias nulla foret Episcopi supra Presbyterum eminentia, ac vera eſſet Aërii, aliorumque Hæreticorum, qui Episcopos ac Presbyteros pares fecerunt, furioſa, ut Epiphanius vocat, aſſertio. Sed alibi, non in hoc Euſebii loco, quærenda erat Sacerdotii dignitas. Obrepserat Theologo nostro somnus, dum multa nocte ad lucernam hæc exarabat: conjunxit *Prærogativas, & ſupremum honorem cum Presbyterio*; quæ tamen in illo textu longissime a se distant. *Theoriſtes, & Alexander cum probaviſſent Origenem dignum prerogativis, & ſupremo honore* . . . Scilicet sic de Origene judicarunt, & rectum judicium fuit. Sed cum aliud ei tribuere non possent, nisi Sacerdotium: *Ei manus impoſuerunt, ut Presbyterio fungeretur*. Quid hoc? Perinde ac si dicerem: Epiſcopus Averſanus cum Te Cardinalatu dignissimum judicaret, Theologum Cathedralis ſuæ te renunciavit. Et tu cum munusculum (liberalis es) Sacristæ offers non dicis: Dignus

es aureo monte, at accipe has quisquilias.

Alterum ex Eusebio, quod arcessit, monumentum est ex Lib. 7. Demonstr. Evan. Ibi tres in Ecclesia ordines distinguit ductorum unum, duos subditorum, scilicet Fidelium & Cathecumenorum. En subdit noster: *Doctissimus Episcopus, cum nominis communione Ecclesiæ administrationes ad Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos, ductores, videlicet perspicue docet pertinere.*

Me tædet in his immorari. Non fero me scribentem; feret lector? Piper, alec, & aliæ ex tabernis merces, quibus tegendis has chartas destinamus, exhorrescent has chartas ipsas, & annalibus Volusianis ex Catulli deliciis assignandas clamabunt. Ductores sunt in exercitu Imperator, Tribuni, Centuriones, & infiniti quique manipulorum Præfecti. Ergo inter hos comparationem instituces, omnesque uno ordine censebis Achivos?

3. O doctissime, & pientissime Vir, quonam tota spectat hujusmodi instituta disputatio? Res nimis ad vivum resecatur; & positos fines videris prætergredi. Quid illud tuum pag. 42. *Pastoralem curam in solidum a toto Presbyterio possideri? Vindicandum* pag. 47. Presbyteris jus suffragii, & quidem definitivi in ipsis generalibus Conciliis, immo etiam in *causis dogmaticis* amplissimo Sacerdotii nomine, quo nomine Christus ipse Sacerdos in æternum exprimitur, & Pontifices, & Episcopi significantur, ad simplices Presbyteros coarctato, exclamas: *Quo nescio quid dignius pro Episcopatu ipso dici queat.* Dic, quæso, quid his positis Episcopo superest? Directionis nempe nuda potestas, & fractus undique primatus; hoc est

magni

magni nominis umbra. Quid nomen retinemus, si corrumpimus significationem?

4. Hilarium, ais, Episcopis pene suppares Presbyteros facere, & plaudis pag.48. Verum, quæ paulo ante posuimus, sunt traditæ ab Hilario divisioni accommodata; & Hieron. Epist. ad Nepot. aliam init divisionem inquiens: *Quod Aaron, & filios ejus, hoc esse Episcopum, & Presbyterum noverimus*. Hilarius autem ab Aaron ad Levitas excurrit. Sed quid in hoc præsidii?

Ecce in primordiis Instit. Can. Tit.IV. Lancellottus ait: *Personarum genera duo sunt, unum laicorum, alterum vero clericorum*. In his, si volumus consistere, totam Ecclesiasticam Hierarchiam evertemus. Oportet, ut generica illa vox in suas, ut ajunt, species distribuatur. Id præclare efficit laudatus Doctor. At fuerit id otii Lancellotto rem suo loco, & ex professo, ut dicimus, tractanti. Sufficit autem Hilarium obiter id innuentem in generico Sacerdotum vocabulo hærere.

In quo sane mirabilis est Theologus noster, qui, ut supra advertimus, amplissima Sacerdotii, & Sacerdotis nomina ubicumque occurrunt, ad simplices coarctat Presbyteros, & confidentissime in hos jura, prærogativas, & cuncta, quæ vastissimæ sunt Sacerdotii amplitudinis, deducit.

Nos interim impudentes audiemus a modestissimo Theologo nostro, si nullo monstrante non deprehendemus in magni Basilii Commentariis in cap. 4. Isaj. & Moral. regul. 7. Præsidentiam προεδρίαν Presbyterorum, & præcepta a Paulo Episcopis imposita, eadem ad presbyteros spectare, *quorum sane præceptorum* cum nonnulla Ecclesiæ gubernationem evidentissime spectent, ut

ut illud in primis : *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Concludit Noster: *Quis sane tam impudens erit, ut Ecclesiæ regimen Presbyteris abjudicet?*

An non eadem Diaconis dicemus danda præcepta, non eadem minoribus Clericis? Quid magni, & tanto gradu apprime, & ad libellam exacte in illis præceptis? Hoc ut illustrius reddatur, observanda est Chrysostomi ad illum locum adnotatio: quærit enim, cur Apostolus Episcopi formam, ac velut exemplar describens, mediocria quædam ab illo, & vulgaria exigat officia, non exquisita, & perfecta. Nam inter alia jubet eum deligi, qui non sit ebriosus, non percussor, non turpi lucro deditus &c. Quæ communis sunt virtutis. *Cur autem non illud potius requirit, ut sit Angelus, ut humanis affectionibus careat, aut illa majora, quæ Christus in præceptis dedit, etiam iis, qui ab illis reguntur, ut cruci sint affixi, ut animam suam in manibus habeant?* Ac respondet *idcirco majora illa, ac præstantiora non attigisse, quod pauci tunc essent, qui hæc possent consequi, opus vero multis esset Episcopis, qui gregem pascerent.* Itaque ad ista minora, & facilia descendisse. Vide Petav. Lib. III. Cap. 8. de Eccl. Hierarchia.

Quid autem miraris admisceri hic nonnulla, quæ Ecclesiæ gubernationem evidentissime spectant? Profecto optandum, ut qui in Presbyterum assumitur, par sit Episcopatui ferendo. Dum das magistellos infimis Seminarii classibus, animum subito ad altiora convertis, pro comperto ha-

habens illos brevi post tempore superiores appetituros cathedras, debitumque sibi ad illas transitum jure postulaturos; hinc te prudentissime geris, dum non putas illis committenda exordia, quibus ad perfectiora suo tempore capessenda apte non adsint vires.

Quod si dicta non sufficiant, ad saturam addo: Nulli id mirandum, si adverterit tunc temporis eosdem Episcopos, ac Presbyteros factos esse, hoc est in eandem personam concurrisse ambos illos gradus, & ordines, sed diversos nihilominus habitos esse, ac tum superstitibus Apostolis ipsis quibusdam in Ecclesiis; tum ubique post eorum obitum personis etiam fuisse distractos. Quam conciliandi rationem, nec abhorrentem ab sacris litteris, & antiquis consentaneam Patribus, ac Conciliis, & Ecclesiæ Catholicæ usui, ac dogmati congruentem præclare exponit, & confirmat Petavius passim toto in Opere de Ecc. Hierar.

Agnosco; si plerumque molestus sum; in hoc certe §. molestissimus fui. Sed hæc est infelitas Apologistarum: in tumultuariam, & inconditam farraginem nulla methodo atque nullo ordine digestam incidere coguntur; indicta his necessitas idem sæpius revocare, & versare, & ad satietatem usque.

§.XIV.

§. XIV.

SUMMARIUM.

Ex Chrysost. & Hieronymo non invictum pro assertis Presbyterorum juribus argumentum depromitur.

A pag. 49. ad 54.

DIssertissimis duobus, iisdemque magnis totius Orbis DD. Chrysostomo, & Hieronymo ut sumus impense addicti, eorumque verba omni auro pretiosiora putamus; sic invitante Theologo nostro peculiarem hic locum dandum arbitramur.

Theologus noster (quod mireris) antequam Chrys. testimonium ad rem suam, ut opinatur, mirifice faciens recitet, expeditam nobis indicat viam, qua perveniamus quo volumus illis paucis, quæ præmittit verbis. *Hic* (Chrysostomus) *quærens qua demum ratione factum fuerit; ut Apostolus ad Timoth. 7. Sacros Ecclesiæ Ministros informans, postquam Episcopis vitæ rationem præscripsit, prætermissis omnino Presbyteris, ad Diaconos instituendos gradum facit, hæc habet intento digito notanda verba* pag. 49.

Ergo verba illa Chrysostomi præscribunt Episcopis vitæ rationem. Notemus id *intento digito*. Omittit Presbyteros. Cur id vero? Quia non multum interest. Videmus hic Presbyteros a Chrysostomo conferri Episcopis in ratione vitæ instituendæ; cumque Presbyteri ad doctrinam, Ecclesiæque *præsidentiam* (intellige modo sæpius posito, scilicet sub Episcopi directione, & regi-

mine, & nihil nisi quod jussi sunt aggredientes) idcirco quæ de Episcopis dixit eadem Presbyteris coaptat. Omnia tuta. Non poterat quippe Apostolus minora Presbyteris indicere, cum ea quæ præceperat Episcopis non essent, ut supra vidimus, altioris ordinis, vel maxime ardui laboris. Prudentissime igitur Chrysostomus non multum interesse dicit (puta quoad hoc) Episcopum inter & Presbyterum, cum uterque divina ordinatione a Populo segregatus, & Deo peculiariter mancipatus, consentaneam tanto muneri vitæ rationem instituere teneatur.

At hæc de nostro cerebello comminisci clamabit Theologus, quia subdit immediate Chrysostomus: *Sola enim* (Episcopi) *ordinatione supra eos ascenderunt, & hoc solo Presbyteris superiores esse videntur:* in quæ verba Theologus noster animum convertens sic: *Quodque sedula animadversione dignum censeo illud est, non ex Presbyteris quempiam suis assentaturum ita scripsisse, sed Episcopum & quidem sapientissimum, ac jurium, quæ ad dignitatem suam spectarent, nihil certe ignarum, imo alibi assertorem acerrimum.*

Vellem ut sedulo expenderet Noster quanti sit hæc ordinatio. Oratoribus, quorum maximus Chrysostomus familiare est, ut si in argumento in quo versantur quid vere magnum, & admirabile occurrit, id unum prædicent, in uno morentur, unum efferant, cetera non curent. Est id & apud Poetas receptum; notum illud Damætæ apud Virgilium Ecl. 3.

Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.

Permagna est dignitas Presbyteralis sed sterilis.

lis. Illa sic fruitur Presbyter, ut ejus in participationem vocare neminem possit; sua ipsi copia sufficit; nequit in alios effundi. At confertur Episcopali consecratione proprietas & plenitudo Sacerdotii; cumque Episcopus eadem illa Sacramenta, conficit, quæ ipsemet conficiebat Presbyter, longe splendidior, excelsior, exertior, & augustior ab eo explicatur potestas. *Easdem aquas*, præclare Thomasinus part. I. lib. I. cap. I. Vet. &c. *dixeris fontis, & rivuli; eosdem radios Solis, & luminis Orbem illustrantis, sed permagnum est horum discrimen, easdem quandoque partes Rex & Proreges obeunt; sed longe excellentissima est Regis ipsius in eas incumbentis dignitas, & majestas*. Hæc omnia Thomasinus.

Inde fit, ut & solus Episcopus possit Sacerdotali ordinatione mirificas has potestates conferre, utpote qui solus Sacerdotii principatum summum, adeoque & fœcunditatem sortitus sit, & dum de venæ suæ plenitudine locupletat quoscumque probarit dignos, eo satis documento probat totam Sacerdotii opulentiam a se obtineri. Itaque cum Chrysostomus *sola ordinatione* Presbyteris Episcopos præstare affirmat, nullum amplitudini Episcopalis ordinis detrimentum infert, etsi in angustum eam detrudere videatur. Quisquis enim Episcopis ordinandi potestatem solis vindicat, is profitetur immensas sacræ potestatis illius esse opes, quas refundere in omnes Orbis ecclesias, & in omnium deinceps sæculorum decursus Episcopi possint.

Hæc quamvis maxima videantur, neque ultra posse has procedere appareat; est tamen prorsus admirabilis alia ejusdem Episcopalis potestatis ex-

cellentia & stupendus prorsus effectus. Non solum Episcopi Sacerdotium exercent, ejusque exercendi potestate Presbyteros exornant; sed Episcopos etiam ordinant, & novellos in dies creant Apostolos, qui pari potestate & ipsi non Presbyteros modo, sed Episcopos pariant. Hæc omnia, quæ cuivis ceteroquin obvia sunt, disertissime exequitur Thomasinus loco citato, & concludit: *Mira supra modum hæc exuberantia Sacerdotii. Eccui enim dubium esse potest, quin summa futura sit Solis admirabilitas, & præcedentia, qui Soles alios progignere possit pari luminis copia, pari fœcunditatis gloria pollentes?*

His perpensis, parvum ne aliquid dixisse videbitur tibi Chrysostomus, cum Episcopos sola ordinationis potestate dixit Presbyteris anteire? Fateberis jejune nimis, & exiliter Te esse locutum cum addidisti: *Neque id a Chrysostomo temere dictum; quippe cum evangelicum Sacerdotium in ratione imaginis sit adeo perfecta imitatio Sacerdotii Christi, ut nil ad eam perfectionis possit accedere; omnino fit, ut Episcopatus non sit nisi extensio quædam Sacerdotalis potestatis ac characteris in eo sita, ut Sacerdotes alios creare possit. Similia plane opinatus est Angelicus Doctor, ejusque schola.*

At sapientissimi viri tenent Episcopatum & Sacramentum esse, & ab ordine Presbyteratus omnino distinctum, atque id propugnant Major, Scotus, Cajetanus, Estius, Sylvius, & innumeri, quibus adhærent juniores Theologi Habertus, Tournelius, Juvenin, aliique. Quibus adhærens P. Berti arbitratur facillimum esse oppositas istas sententias ad concordiam revocare, si theologice velimus disse-

serere, suasque contentiones relinquere vitiligatoribus Philosophis. Ipsum adi, & non pœnitebit; mirifice confirmata, quæ supra diximus, videbis.

Tandem quod dicis Evangelicum Sacerdotium in ratione imaginis esse perfectam imitationem Sacerdotii *Christi*; id maxime verum est, si Sacerdotium accipias in sui plenitudine, scilicet ut Episcopatum, & Presbyteratum complectitur. Hæc satis occasione Chrysostomi; veniamus ad Hieronymum.

Equidem dum cogito quot occupaverint chartas, imo fere volumina prolixæ Dissertationes Theologorum nostrorum de Hieronymi sententia quoad Presbyterorum, & Episcoporum discrimen; superfluum puto, & inutile in id laborem meum conferre, & longa disputatione Hieronymi orthodoxiam adversus nonnullos ex nostris temerarios Scriptores vindicare, maxime cum tractator noster idem ceperit consilium, statuens rata esse velle quæcumque pro SS. Doctore sunt hactenus allata.

Videndum modo, an ex his, quæ fusiori calamo ex Hieronymo Noster deducit, susceptæ causæ robur accedat. Arbitror non multum exinde subsidii conquisitum; nam quod ante Corinthiacum schisma communi Presbyterorum consilio Ecclesias gubernatas Hieronymus asserit, id mihi non incommodat, cum ex dictis supra pateat, quod Apostoli in multis Ecclesiis solos collocaverint Presbyteros, qui vel a vicinioribus Episcopis, vel ab ipsis regebantur Apostolis. Id, ut conjicio, concedere videtur Theologus noster, qui pag. 52. sollicitus est tantum, ne quis inde colligat post

 me-

memoratum schisma, antiquum morem exolevisse, totoque in orbe decretum, ut unus de Presbyteris superponeretur, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret. Ait ergo pristinum morem adhuc exacto Corinthiaco schismate perstitisse immotum, ac laudata Hieronymi verba eo accipienda sensu, ut cum prius ante schisma Presbyteri nullo sub capite Ecclesiam ministrarent, qua ex re schismati occasio patuit, exinde decretum fuisse, ut unus cæteris superponeretur non quidem aliis administratione exclusis, sed tamen unius *obnoxiis* directioni.

Improbo labore multa colligit Noster ut id evincat; nos autem in hoc rei summam non arbitramur collocatam; observamus namque eo fuisse caritatis spiritu vetustos illos Episcopos inflammatos, tam demisse de se sensisse, ut quamvis mira in expediendis Ecclesiæ negotiis dexteritate pollerent, tamen se impares tanto oneri reputarent, & cuncta cum Presbyteris suis vellent communicata. Et hoc sensu verum est quod ipsi Presbyteri gubernarint Ecclesiam, non pari tamen cum Episcopis auctoritate, sed communi consilio.

Hieronymum igitur accipiamus de illis locis, in quibus Cathedrales sedes nondum fixæ erant, ubi nil mirum si nullo ceteris præsidente, omnibusque pari auctoritate instructis facilis, & frequens fuerit ad schismata lapsus. Neque credo Hieronymi sensum esse, ut ubique, eodemque tempore unus fuerit superpositus Presbyteris in singulis illis locis Episcopus; non enim credo turbatum ubique uno temporis puncto, sed paulatim, prout necessitas postulabat, id invaluisse.

Quod

Quod autem ex Epistola ad Philipp. infert Hieronymus, eosdem dici Episcopos illo tempore, & Presbyteros appellari: propterea *indifferenter*, subdit, *de Episcopis* quasi de Presbyteris Paulum locutum; contendimus Hieronymum hoc tantum velle, quod Episcopi interdum Presbyterorum nomine designentur, atque Presbyteris quoque credatur animarum cura, & munus baptizandi, conficiendi, & ministrandi Eucharistiam, nec non a peccatis absolvendi, non tamen independenter ab Episcoporum jurisdictione, & auctoritate quod ex ejusdem S. Doctoris verbis luculenter evincunt Theologi nostri, quos inter P. Berti hîc. Adstipulatur Chrysostomus qui in hunc locum sic: *Quid hoc? Unius urbis multi erant Episcopi? Nequaquam, sed Presbyteros ita appellavit, tunc enim adhuc communicabant nominibus*. Quod ultimum sic accipias Episcopos scilicet vocatos nomine Presbyterorum. An autem e converso id non liquet, & nos fuse de hoc supra, ubi monuimus, quales, & quanti illi Presbyteri.

Porro idem Hieronymus scribens in Epistolam ad Titum inter illos, qui communione vocabulorum nunc Episcopi, nunc Presbyteri dicebantur, unum peculiarem agnoscit in urbe Ephesiorum, & in insula Cretensium alterum, qui non tantum Eucharistiam conficere, verum etiam eos, qui conficiunt, constituere poterant & ordinare. Prosequitur Hieronymus & unius Episcopi demonstrat institutionem perantiquam, & ordinem excelsiorem exemplo Ecclesiæ Alexandrinæ subjicitque: *Nam & Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos Presbyterum semper unum ex se electum in excelsiori gradu*

 col-

collocatum Episcopum nominabant. Quomodo si exercitus Imperatorem faciat, ut Diaconi eligant de se quem industriam noverint, & Archidiaconum vocent. Hîc vero nonne Episcopo suffragiis Presbyterorum electo tribuit gradum sublimiorem, & in gubernanda Ecclesia jus primum, prout habet inter milites Imperator, atque inter ministros Archidiaconus? Habet ergo Episcopus auctore Hieronymo honoris prærogativam, & amplitudinem jurisdictionis.

Ut igitur Hieronymum sibi constare dicamus, ut *omnino dicendum est*, non debemus in deteriorem partem accipere eundem dicentem: *Episcopi noverint se magis consuetudine, quam Dominicæ dispositionis veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere.* Dixerat S. Doctor Ecclesiam ab initio gubernatam fuisse communi Presbyterorum consilio, deinde ad unum Episcopum delatam sollicitudinem, hac demum in re magis in consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate Episcopos majores esse Presbyteris: hæc nimirum quoniam Apostoli ab initio etiam Seniores in partem sollicitudinis Ecclesiæ admittebant, cum tamen ipsi pleniorem haberent auctoritatem; postea vero crescente fidelium multitudine satis duxerunt ad schismata removenda, ceteris unum præficere, ut plura is statueret, ac præciperet Presbyteris inconsultis.

Illam quippe in gubernanda Ecclesia consiliorum communionem, quam Hieronymus ait initio servatam esse, & quam nunc quoque in rebus arduis suadet Præsulibus omnibus, explicat S. Doctor his verbis: *Imitantes Moysem, quicum haberet*

beret in potestate solus præesse populo Israel septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.

Hæc postrema Hieronymi verba, quæ lucem maximam afferunt toti textui, non mediocriter causæ suæ incommodare cum adverteret Noster, animadversiunculam apposuit dicens: *Hoc argumentum ab exemplo petitum procedere non a pari, sed ut ajunt a majori ad minus.* Summa est: *Si Moyses cui datum erat, ut solus præesset, consortium 70. Seniorum adscivit, idque Deus probavit, quanto magis Episcopis Presbyterorum in Ecclesia administranda societatem non esse respuendam.*

Quis hoc in dubium revocet? Quis non dicit, clamet, prædicet, Presbyteros ab Episcopis honorandos, colendos, utque in vinea operarios egregios divinitus destinatos, omnibus officiis & amoris significationibus a Prælatis accipiendos? At Moyses solus præerat. Voluntarie Seniores adscivit. Conclusio patet. Claudat totum hoc Hieronymianum negotium Hieronimus ipse illis exquisitissimis verbis: *Ecclesia salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & eminens datur potestas, tot in Ecclesia efficiuntur schismata, quot Sacerdotes.* Dial. adv. Lucif.

§. XV.

SUMMARIUM.

1. *Ambrosius, & Augustinus non adstipulantur sententiæ Theologi nostri.*
2. *Frustra hic nititur in suas partes trahere auctorem QQ. veteris, ac novi Testamenti.*
3. *Nullum ex Opusc. de 7. Gradib. &c. ejus causæ robur accedit.*

A pag. 54. ad 57.

1. AMbrosium perhonorifice de Presbyteris sentientem, monentemque Episcopum tamquam membris suis uti Clericis, & maxime Ministris, ac deferre Presbytero ut parenti libentissime (res enim agitur nostra) audivimus. Utinam audirent illi, quibus eas tradit præceptiones. *Quid luculentius*, exclamat Theologus noster, *ad significandam communem utrique ordini Ecclesiæ procurationem, licet hæc alteri ut capiti, alteri ut membris conveniat.*

Et unde hoc tantum, o bone, qui consilium vertis in præceptum? Quis inficietur sic & non aliter agendum ab Episcopis, si Ministrorum paci, si Ecclesiæ utilitati, si suæ conscientiæ velint illi consultum? Porro quis membra Episcopi Ecclesiasticos omnes non dicat, non fateatur? Suo tamen modo hæc apte intelligenda. His executio demandatur, hi collaborare jubentur; otiosos quis dixerit ferendos Presbyteros? Sed hi, quæ mini-

nistrantium sunt, arripient. Pes, & manus, quæ sua sunt peragant, nec in capitis jura sibi arrogent quidquam.

In Augustino vero hic est vere mirabilis doctissimus Noster. Multis egit supra, ut ostenderet potentem illum Ecclesiæ gladium, excommunicationem scilicet, non solitaria Episcopi manu tractandum, sed totius Presbyterii junctis viribus exerendum, & nunc solis Presbyteris illum permittit; imperium inde istorum in laicos arguens, sicuti Episcopis potestas est clericos exauctorandi; vocat testem magnum Augustinum, quem tamen sic accipiendum, nemo unus erit (opinor) quin existimet. Fuit ne aliquando hæc in Presbyteris propria, non delegata potestas? Sed fusius de hoc infra redibit sermo.

Adhuc ex Augustino pergit Noster argumentari: *Disertior*, inquit, *locus est in Epistola* 21. *ubi factam sibi vim conqueritur, cum ad Sacerdotium evectus est: Vis mihi facta est merito peccatorum meorum, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.*

Quid? oblitus forsitan erat Theologus Augustinum Sacerdotem cooptatum fuisse ab Episcopo Valerio coadiutorem Episcopatus, & sic de se jure dicere *traditum sibi fuisse secundum locum gubernaculorum*. En verba Augustini Epistol. 100. *Adhuc in corpore posito B. mem. P. Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Verumtamen secundus hic locus gubernaculorum revocat in memoriam Sacerdotium in duos ordines dispesci,

in

in unum quo traditur poteſtas Euchariſtiam offerendi, & in excellentiorem alium, quo ulterius confertur auctoritas illos, qui Euchariſtiam conficiunt ordinandi, & conſecrandi. Hæc reſponſio, quæ traditur ab eruditiſſimo Sirmondo ad Sidonii Apol. Epiſt. II. Lib. 4. ubi de Claudiano Presbytero, ac fratre Mamerti Vien. Epiſcopi legitur: *Antiſtes fuit Ordine in ſecundo*, antiquiorum dictis cohæret quam maxime. Hinc S. Optatus lib. I. n. 13. Epiſcopos in primo, ac Presbyteros in ſecundo ordine conſtitutos appellat. Extant et leges Theodoſii, et Valentiniani, quæ agunt de ſecundis Sacerdotibus, et Fridegodus de Wilfrido in Presbyterum ordinato: *Ordinis aptatur cælebs in honore ſecundi*. Hinc Tridentina Synodus Seſſ. 23. Cap. 20. enumerans ſeptem ordines, ſupremum non Presbyterorum, ſed *Sacerdotum* appellat.

Igitur horum omnium ſumma eſt, Presbyteros ex vi ordinis ſui aptos eſſe, qui gubernaculorum locum teneant cum in Prælatorum adjumentum, Eccleſiæque utilitatem illi fuerint initiati, nec eis (quod ſæpius monuimus) otiari datum: ſed ad Epiſcopi nutum, vel hoc abſente, aut mortuo ingruentibus occurrere neceſſitatibus, regere tunc, gubernare, & nequid detrimenti publica res capiat providere, & omnia quæ e re ſunt aggredi dicimus, & prædicamus. Nec ſententia mentis noſtræ eſt ſtipites, & truncos exhibere Presbyteros noſtros, maxime quod ea, quæ in publica commoda tendunt non ex jurisdictione, de qua tota hic quæſtio agitur, & quam omnibus retro ſæculis in extrema neceſſitate cunctis adfuiſſe Præsbyteris quoad Sacramentum Pœnitentiæ novi-

vimus, & luculenter declarat Tridentinum, sed ex ordine Sacerdotali, qui perpetuo illis adhæret, proficiscantur.

2. Præterire tuto possemus Auctorem QQ. veteris, & novi Testamenti, quem Theologo nostro fatente iratum Diaconis longius fervor disputationis abripuit, & Sacerdotum dignitatem cum Episcopali composuit. Hominem ingenio ad iram præcipiti, & irarum, ut Virgilianus diceret, omnes effundentem habenas, quis feret? Hunc non sollicitasset Theologus noster. Sed quid tandem hic? Nempe quod Episcopus est primus Presbyter, hoc est Summus Sacerdos. *Denique non aliter quam Compresbyteros, & Consacerdotes suos. Numquid & Ministros Condiaconos suos dicit Episcopus?*

At non adeo nocet, quamvis iratus, hic scriptor modo animadvertamus quanta fuerit in primis illis Ecclesiæ Pastoribus modestia! Sequentibus quoque sæculis caritate adhuc vigente Episcopi se *Peccatores* nominabant, & quidem si Petrus *Seniores* obsecrat *consenior* I. Pet. 5. mirabimur si Episcopus Compresbyteros, & Consacerdotes nos vocet? Et quo nomine nos debet vocare? Famulos, mancipia, pedissequos? Clamabit: *Sosia adesdum; Dave te in pistrinum. Tu Sannio operiere loris ad necem.* Jocari libet.

3. Gradum facit Theologus inde ad Auctorem Opusculi de 7. Gradib. Ecclesiæ. Pientissimus videtur Scriptor ille, & mystice rem totam transigere. Ex hujusmodi autem si firmum queat argumentum depromi viderit Theologus noster. *Affirmat Presbyteros dici, qui præsunt Ecclesiæ Dei, & hos esse cum Episcopo consortes ministe-*

ste-

ſteriorum. Quæ quo ſenſu ſint accipienda, idem explicat. Habes apud Noſtrum totum textum, ſcilicet quod Presbyteri interdum exhortantur plebem; quod prædicant in Eccleſiis, quod plebibus *benedicant*. Quæ omnia Ordinis eſſe quis non videt? *Subdit quod ipſi Presbyteri*, ut legimus, *Epiſcopi nuncupantur*: De hoc nos ſupra pluribus. Tandem exhilarat nos ſermonis illa clauſula: *In Subdiaconis Angeli, in Diaconibus Archangeli, in Presbyteris Apoſtoli, in Epiſcopis Deus*. Tantum ne audiat Michael Archangelus, intonabit enim: *Quis ut Deus*. Et ſupplex tunc ego exorabo, ut idem Archangelus tuba inſonet, & clamet: *Ignoſce Domine Auctori, Theologo, & mihi miſerrimo ſomniis chartas implentibus*.

Theologus noſter, quæ eſt elegantia, & ακριβεια; conſilii ſui hic reddit rationem, qua adductus incerti nominis Auctores produxerit. Ignoſcimus libenter. Ut enim in tumultuario delectu, ac ſubita conſcriptione militum accidit, ut obvii quique, ac valentes, ac imbecilli, fortes, ac ignari in militiam referantur; ſic Noſtro cuncta undique corradenti non ſolum triarii, ſed & velites obvii placuerunt.

§.XVI.

§. XVI.

SUMMARIUM.

1. *Leo M. Gregorius item M. sententiæ nostræ non adversantur.*
2. *De sensu egregii Doctoris Isidori Hispal.*
3. *De ceteris testibus a Theologo nostro conglobatim productis.*

A pag. 58. ad 61.

1. DEcretoria esset tantorum Ecclesiæ Doctorum, eorumdemque SS. PP. Leonis, & Gregorii MM. in argumento, quod versamus auctoritas, si non dico diserte, sed etiam subobscure illorum verba, vel facta subsidii aliquid Theologi nostri causæ viderentur afferre. Quis enim ad tanta nomina non continuo se totum componeret? Quis hiscere auderet? Quorum quæ sanctitas? Quantus gradus? Quanta sapientia? Ad horum enim sententias accessi, fateor, venerabundus, certus omnino in alia omnia discedere, si minimum quid adversi in illorum testimoniis deprehenderem. At nihil hujusmodi; enimvero Leo fideles hortatur, ut Manichæos latentes Presbyteris denuncient *Sacerdotali auctoritae excommunicatione mulctandos*. Sed quid inde? Sacerdotalis auctoritas est in Pontifice, est in Episcopo. Non dicit esse illos a Presbyteris excommunicandos, & quamvis hoc diceret, scimus ex delegatione excommunicandi potestatem Presbyteris competere. Sed hic nil aliud habemus, quam reprobos illos denunciandos Presbyteris. Subdit:

Quæ

Quæ res nisi coacta Synodo residentibus mecum Episcopis ac Presbyteris expedita.

Subsistamus hic tantisper. Et quoniam quæ ex Gregorio M. mox producentur, cuncta huc recidunt, una responsione omnem scrupulum Theologo nostro adimamus. Abbates & ordinum Generales sedent in œcumenicis Conciliis, & suffragii prærogativa non secus ac Episcopi gaudent. At totum id Pontificiis concessionibus acceptum illi referunt, quod vulgo fatentur Theologi. Cum enim supra simplices Presbyteros non emineant illi sacræ ordinationis charactere, sed pares omnino in Ordine sint illis; cumque nulla plebium illis sit concredita cura, sed domesticos intra parietes eorum variis exemtionibus conflata contineatur jurisdictio, nulla alia via nisi munifica largitione Pontificia id in eos derivatum, est omnino dicendum. Quid porro interest factis ne, an verbis mentem suam aperiat Pontifex? Satis hoc nos edocet Jurisconsultus. Affer centum Synodos, ad quas Leo, vel Gregorius, vel alius summus Hierarcha Presbyteros coegerint, & in quibus judices sederint hi, decreta condiderint, anathematismos tulerint, subscripserint; millies respondebo hos concedentibus, imo volentibus summis illis Concilii præsidibus Romanis Pontificibus ea omnia peregisse. Eadem ratione vocet Episcopus simplicem Presbyterum, cui nulla juri dicundo in sacris Tribunalibus sit facta potestas; dicat se apud eum exomologesim facere velle, non hoc ipso collata intelligitur potestas?

His positis, vide an ex novissimis illis apud te hic Leonis verbis aliquid pro suscepta causa præsidii possit comparari. Si justa arma tibi de-

certanti suppeditet Gregorius M. per illas, quas memoras, Synodos, dixi, nec dicere desinam: Hæc & alia hujusmodi sicuti modestiam, caritatem, spiritum concordiæ, & unitatis insignium illorum PP. (imitatores habuerunt & Episcopos plures) sic nullam nos cogunt ex his, quas Noster congerit, in Presbyteris prærogativam agnoscere.

Et quoniam in Gregorio Magno sermo est, ut agnoscas, quæ illius modestia, & animi demissio in toto Pontificatus tempore extiterit, quantus caritatis spiritus, & cujus ille sibi instituti rationem proposuerit, consule (egregium profecto monumentum) illius Epistolas, in quibus invenies Sanctissimum Pontificem nunquam se contra Episcoporum quemquam erexisse, nisi contumaciæ reus ille perageretur. Cerno se parem illis facere, qui muneri Episcopali omni ex parte respondebant; nihil de summi auctoritate primatus, cum causa non postulabat, cogitasse. Memor quippe erat Dominici illius effati: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor*. Neque tamen inferes exinde supina facilitate, & demissione pontificiis juribus, debitæque, cum opus esset, severitati Ecclesiasticæ in contumaces periculum obortum; Vindex enim illorum acerrimus fuit Gregorius, & paratus, ut Apostolus ait: *Omnem inobedientiam ulcisci*. Mira porro in tanto Pontifice fortitudinis, et constantiæ argumenta suppeditant nobis historiæ. Digna quoque, quæ legatur illius Epistola ad Joannem Episcopum CP. et ceteros Patriarc. relata Lib. I. Epist. 25. ibi: *Rursus cum me ad considerandum confero qualis in humilitate, qualisque esse Rector debeat in di-*

 stri-

ſtrictione perpendo. Quoniam necesse est, ut & bene agentibus sit per humilitatem Socius, & contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, quatenus & bonis in nulla se præferat, & cum pravorum culpa exigit, prioratus sui potestatem cognoscat. Vides Pontificis ingenium, prudentiam, æquitatem, divinumque, et tanto Pontifice dignum in negotiis administrandis, et re Ecclesiæ bene gerenda consilium:

Verum quasi injecta manu nos Theologus noster moratur regerens: *Gregorius* Lib.II. Epistola 13. *cassa jubet esse, atque irrita Episcopi acta, Presbyterorum, ac Diaconorum subscriptionibus minime munita: Mandato*, inquit, *legaliter facto tuis, ac Presbyterorum, seu Diaconorum subscriptionibus roborato. Quod perinde est, ac si nullius roboris esse dicatur, si quid contra gestum fuisset*.

Ita ne vero omnia acta irrita? Imo nec ista quidem. Hoc tum vere diceretur, si Pontifex Episcopi mandatum rejecisset eo nomine, quod Presbyterorum esset subscriptionibus destitutum. At non eo usque res progressa est: vult Pontifex mittatur sibi mandatum Presbyterorum, et Diaconorum subscriptionibus roboratum. Eccur? Facile advertimus de judiciario, ut dicunt, processu, in causa criminali hic agi. Criminales autem causæ in suis locis agebantur; hinc frequenter ad Pontificem appellationes, et acta mittebantur; quorum faciles falsationes. Quid ergo mirabimur, si de illorum sinceritate sollicitus Pontifex sic caverit?

2. Veniat nunc egregius ille Doctor Isidorus Catholicæ Ecclesiæ novissimum decus, qui apud

Theo-

Theologum nostrum Presbyteros Episcopis dat socios, & consortes in Ecclesia procuranda, atque utrisque præfecturam, utrisque dispensationem concreditam ait, additque solo propter auctoritatem Summo Sacerdoti Clericorum ordinatio, et consecratio reservata est, *ne a multis Ecclesiæ disciplina vindicata concordiam solveret, scandalum generaret.*

Stesichorum imitari videtur hic Theologus noster inter laudationes, vituperationesque Helenæ fluctuantem. In Isidoro Hieronymum redivivum laudat impense. Eundem duriuscule locutum arguit, dum asserit Episcopis ordinationem Clericórum concessam, ne a multis disciplina vindicata concordiam solveret, cum sit id a divina lege profectum.

Hic ego, si ejusdem meriti essem ac Theologus noster, dicerem totum Isidori textum duriusculum esse, atque adeo benigna interpretatione molliendum. Cur enim quod de postremis verbis S. Doctoris audemus, non audeamus de primis effutire, cum id nullo neque sanctitatis, neque doctrinæ tanti Magistri dispendio fieri queat, & gentilitiæ Hispanicæ indolis omnia in immensum protrudentis, & mirifice ampliantis natura, satis in tuto collocet Isidorum?

Verum nolim mihi tantum arrogare, potissimum cum centies audivimus (& tædet, pigetque amplius audire) Presbyteros esse consortes Episcoporum, ad hos animarum curam pertinere, hos præsidere, & alia hujusmodi peragere; centiesque dictúm a nobis debere istos in vinea Domini operosos se agere, non inertes, & otiosos. Declaratum quoque, & quo sensu hæc accipienda,

& eo prorsus, qui susceptæ causæ Theologi nostri nihil suffragatur.

Sed cur assertionem hæreticalem Theologus noster *duriusculam* vocat? Jure Divino novimus Episcopis jus Ordinationum concessum. At asserere id factum, *ne a multis disciplina vindicata concordiam solveret, nonne homanam concessionem inducit?*

Ergo ne hæresim sapit hic Isidorus? Nihil alienius. Neque enim hæretica, neque duriuscula est Isidori locutio, & suus undique SS. Doctori constat honos. Attendamus diligenter ad verba: *Sed sola propter auctoritatem* (*utique Divinam, quæ sola proprie dicenda est auctoritas; non enim dicit Isidorus auctoritatem humanam*) *Summo Sacerdoti Clericorum Ordinatio, & Consecratio reservata est, ne a multis Ecclesiæ disciplina vindicata concordiam solveret, scandalum generaret.* Utique Divinus Legislator, ne memorata subsequerentur incommoda, statuit Ordinationem Clericorum juris esse Episcopalis, unde exoritur illa de jure Divino Episcoporum supra Presbyteros eminentia, quam asseruit Tridentinum.

3. Producit tandem conglobatim alios Testes Noster, qui sunt Primasius, Sedulius, Ven. Beda, & Hincmarus. Horum, ait ipse, una est sententia, scilicet primis Ecclesiæ temporibus utrosque vocatos Episcopos, utrosque Presbxteros: *Cur amabo uno cum Presbyteris nomine censebantur, nisi quia & officiorum communione copulabantur?*

Atqui una est responsio, quam ad Ravim usque iterumque, iterumque cum dederimus, superfluum est in his amplius immorari.

§.XVII.

§. XVII.

SUMMARIUM.

1. *Concilia, ex quibus momenta pro suscepta causa Theologus noster depromit, nobis non adversantur.*
2. *De Concilio Eliberitano.*
3. *Tum de Arelatensi.*
4. *Exponitur sensus Synodi Laodicenæ.*

A pag. 61. ad 62.

1. Diu anceps fui, an in hunc locum, in quo argumenta ex Conciliis desumta collocat Theologus noster, aliquid commentarer: Namque vanum, & superfluum id videbatur. Cum enim omnibus retro sæculis firma Ecclesiæ persuasio insederit Episcopis divinitus potestatem Greges suos pascendi traditam, omniumque ore vulgatum feratur; idcirco universali Ecclesiæ unum summum præpositum fuisse Rectorem, unum quoque singulis Episcopum datum Civitatibus, ut uno (præclare Cyprianus) capite constituto Schismatis tolleretur occasio, jam consequens erat nullo pacto stare posse, quæ tanto molimine pro Presbyterorum illis juribus Theologus noster ex Conciliorum auctoritate hic coacervat. His enim admissis nesciremus Prælati ne, an subjecti essent Episcopi; horum ne, an illorum potiores partes, cum unius in Consiliis capessendis sententia, plurimorum possit in contraria abeuntium placitis infringi, illumque, cui nullum suo more agendi relictum sit arbitrium, non regere, sed regi

rectissime diceremus. Hæc propter tacitus hoc totum præterire cogitabam, certus omnino nihil hic per Concilia turbatum; ac illa si quid in specie adversi his, quæ hactenus firmavimus, ponerent, id in alium sensum nobis non incommodum omnino accipiendum. Verum ne se hoc silentio contemtum, quod absit, queratur doctissimus Noster, videamus quid tandem afferant illa Concilia.

2. Occurrit primo loco omnium antiquissima Eliberitana Synodus cunctis nominibus venerabilis. In hac quidem Episcopi, Presbyteri, & Diaconi promiscue sedent: canones conduntur: Presbyteri numero 26. judicandi potestate prædi- ti, & jure suffragii insignes conspiciuntur. Liquet id ex eorum subscriptionibus, & dubitare non sinit Mendoza inquiens: *Utrorumque subscriptis indicant decernendi auctoritate olim Presbyteros non caruisse; aliter enim quorsum tot ipsorum subscriptiones.*

At Eliberitana Synodus generalis non erat; propositum illi fuit disciplinam ex longa jam Ecclesiæ pace, moribus in deteriora vergentibus, collabentem sartam, tectamque tueri. Convenere Episcopi decem & novem, quos inter eminebant Magnus Osius Cordubensis Episcopus, & Valerius Episcopus Cæsaraugustanus. Passine hi essent a Presbyteris Episcopalia jura attentari, illamque peccandi licentiam, quam in plebibus tanta severitate persequebantur (patet id ex 81. can. ibi conditis, quas ad summi rigoris specimen excusos cernis) in Clero impune grassantem tulissent? Nonne tunc Presbyteri nihil sine Episcopi jussione agere poterant? Satis evidenter

ex graviſſimis illius ætatis teſtibus id ſupra oſtendimus; quomodo ergo hic judices ſedent? Quid ſi can. 32. hic decernitur, lapſum in mortale crimen non a Presbytero, ſed ab Epiſcopo pœnitentiam accipere debere? Immo additur: hunc extrema cogente neceſſitate poſſe a Presbytero, vel Diacono reconciliationem obtinere, non ſine tamen ejuſdem Epiſcopi prævio conſenſu. Can. 53. edicitur, ut excommunicatione innodatum ſolus, qui ligarit Epiſcopus, ſolvere queat, ac ſi quis alter Epiſcopus id audeat, gradus ſui periculum ſubiturum? Nullam Presbyterorum mentionem factam animadverte.

Ergo ſic habe: ab Epiſcopis vocatas fuiſſe Presbyteros illos utilem operam in reformationis negotio, quod unicum proponebatur, allaturos Concilio. Graſſantes enim ſinguli horum in locis ſuis corruptelas noſſe poterant, ac de illis Epiſcopos admonere. Præterea factum eſt ita, ut redderentur plauſibiliora plebibus ardua ſtrictiſſimæ illius reformationis capita, quæ ſuis Presbyteris præſentibus, & conſentientibus condita videbant. Quod ſignificatum ſubſcriptionibus illis Presbyterorum Epiſcopi voluerunt; nec Mendozam aliter interpretantem recipimus, cujus auctoritas non eſt tanta, ut a ſententia omni momentorum genere confirmata nos diſtrahat.

3. Ad Arelatenſe concilium, quod attinet, parumper Eccleſiaſtica illius ætatis monumenta percurrenti apparebit, nullam in eo Presbyterorum ſe jurisdictionem exeruiſſe. Fracti in concilio Romano Donatiſtæ, & Orthodoxorum ubique Epiſcoporum auctoritate damnati, pientiſſimum Imperatorem Conſtantinum adivere calum-

niam se passos quiritantes, ajentesque Felicem Aphtumgitanum contra fas omne declaratum innoxium, atque Cæcilianum, quem male promotum evidentissima monstrabant argumenta, dignitate, ad quam obrepserat, non fuisse dejectum. Nolle se illorum communione fœdari, quos sacrorum proditio librorum, aliaque exinde consecuta crimina ab Ecclesiæ unitate jamdudum distraxerant.

Nihil gravius Costantino Sacerdotali discordia; et quamvis ipsi non lateret iniustissimas esse Donatistarum querelas, pro bono tamen pacis (nihil sibi ceteroquin arrogans, quod infra patebit) utile judicavit plenarium Episcoporum cogendum Arelate Concilium Kalendis Augusti. Extat hac de re illius ad Ablavium Africæ Proconsulem Epistola. In hac jubet ipsum curare, ut Cæcilianus eligat nonnullos suæ Communionis, unaque cum illis Concilio se sistat: adesse quoque cogantur nonnulli ex illius Adversariis: conveniant Episcopi Provinciarum Africanarum, iis stipati Sociis, quas quisque illorum judicaverit opportunos. Iter interea ex ærarii sumtibus omnibus apparetur. Incredibile vero dictum est, quot Arelatem confluxerint Episcopi; non ex Africanis tantum Regionibus, sed ex Galliis, Hispaniis, Italia, Dalmatia adstiterunt; quin ex toto divisas orbe Britannos Præsules illud accepit Concilium. Dignum quod vere memoretur Concilium. De eo arbitrantur Eruditi, Augustinum locutum, dum diu versatam Rebaptizantium quæstionem, plenario Concilio affirmat finitam. Digna Prælatorum de rebus a se in Concilio gestis ad Sylvestrum Pontificem Epistola, egregium

Pon-

Pontificiæ præeminentiæ testimonium; cedro digna Constantini ipsius Epistola ad PP. qui illum de Concilii actis certiorem fecerant. Apparet quo animo erga Ecclesiastica judicia tantus Imperator fuerit affectus; quam demisse de se sentiret; quanta reverentia, pietate, & obsequio Ecclesiam complecteretur.

At hæc paulo fusius de Arelatensi Concilio, ne vilem, & exiguum putares conventum, qualia paulo post tot Satanæ per Arianos conventicula in Historia cernis. Neque hoc inutile omnino, cum liquido ex his, ad id quod urget Theologus noster, responsio pateat. Audisti indultum Cæciliano, ut aliquot ex sua communione Ecclesiasticos adduceret socios? Potestatem Episcopis factam aliquot sibi adsciscere comites. Cur hæc, si omnibus Presbyteris Concilio licuisset adesse? At Presbyteri sedent: Utique. Illi scilicet, de quibus sumus ante locuti. Judicant: Id non facile admitto. Aderant testes furoris, & licentiæ Donatistarum. Quomodo enim alias remotiores Episcopi cognovissent Donatistas criminum, quæ ipsis impingebantur, reos? Quomodo illorum iniquitas innotuisset? Nec te sessio illa perturbet. An non digni, qui sedeant, Presbyteri? Verum de hoc fusius occasione Alexandrini Concilii, quod Nicæno magno præivit.

4. Laodicena Synodo castigatur audacia Presbyterorum, qui ante Episcopi ingressum ingredi & sedere in Tribunali præsumebant, quod nefas esse nemo non videt. Neque attentis Canonis illius verbis asserere cogimur Presbyteros sedente Episcopo sedisse in Tribunali. Dicitur enim in altera parte: *Sed cum Episcopo ingredi*, addendum

dum fuiſſet: *Et ſedere*; at hoc non videmus additum fuiſſe.

Sed ſederint Presbyteri, & judicaverint; totum foret indulgentiæ Epiſcoporum tribuendum. Certe Laodicena Synodus univerſali Eccleſiæ legem dare non potuit; & videbimus in ſequentibus conveniſſe ad Synodos illos tantum Presbyteros, quos Epiſcopi deligebant, & quorum opera in diſcutiendis, vel criminalibus cauſis, vel novis doctrinis expendendis, vel hæreticis confutandis, vel aliis hujuſmodi negotiis peragendis, Epiſcopi iiſdem uſi fuiſſent.

Ceterum cum de diſciplina agatur, quæ varia variis in locis ſemper fuit, mirum non eſt ſynodos cum ſynodis collidi, & quod una in regione obtinebat, in aliis incognitum fuiſſe, & Epiſcopos alios aliis humaniores diverſas agendorum rationes negotiorum potuiſſe præſcribere.

Et non vides nunc ubique generales Vicarios Epiſcoporum Presbyteros, imo ne Presbyteros quidem pro tribunali ſedere, & judicare? Ab his, qui Officiales in jure vocantur, nulla ad Epiſcopum, cum unum conſtituant tribunal cum ipſo, appellatio. Nec repugnat, quin minoribus etiam Clericis, Epiſcopo delegante, judiciaria demandetur facultas. Ignoti tunc Vicarii, cum Epiſcopi cuncta per Presbyteros tranſigebant. Quid autem in his amplius hæremus? Ex facto ad jus non ſemper legitima eſt illatio.

§. XVIII

§. XVIII.

SUMMARIUM.

1. *Magnam Nicænam Synodum frustra in suas partes trahere conatur Theologus noster.*
2. *Judicium Alexandrini concilii Nicæna Synodus probans non probat sententiam Theologi nostri.*
3. *Occasione Alexandrini concilii agitur de forma veterum conciliorum, & iterum ostenditur nunquam simplices Presbyteros in his fuisse judices controversiarum Fidei.*
4. *Diluuntur quæ Theologus noster affert ex concilio Chalcedonensi.*

A pag. 62. ad 64.

1. QUoniam non angusta (talis enim decebat) magni Nicæni Concilii facta mentio, multa suppeditat Theologo nostro ad suam rem confirmandam, operæ pretium me facturum arbitror, si paulo diligentius in id inquiram, spem aliquam Nostro portendunt canon 4. 15. 18. de interminato Episcops, Presbyteris, & Diaconis mulierum conturberno procul. Nec non & canon 12. qui interdicit, ne Episcopi Presbyteri, & Diaconi ex una in aliam ecclesiam commigrent. Ac demum canon 13. qui Diaconorum comprimit insolentiam adversus Presbyteros.

Rem

Rem inde nostro ipsa Synodus confecisse videtur, cum ratum esse jussit Alexandrini Concilii judicium, quo cum Episcopis quibusdam plures Presbyteri convenerant, atque Arium hæreseos convictum Presbyteratu deturbarunt. Affert in hanc sententiam Epiph. hær. *69*.

Tria exinde infert. 1. In gravissima fidei quæstione cum Episcopis Presbyteri sententiam ferunt. 2. In refractarium Presbyterum non Episcopus solus, sed totum Presbyterium anathematis, ac proscriptionis pœna animadvertunt. 3 Judicium hoc, quo nihil momentosius, magna Nicæna Synodus confirmat non profecto confirmatura, si Presbyteri judices fuissent illegitimi.

Verum hæc omnia nihil omnino evincere confidentissime assero; & quoad Canones initio commemoratos, pone edixisse Concilium Episcopos, & Presbyteros blasphemos gradu exturbandos, inferres ne Episcopos, & Presbyteros in eundem ordinem redigi, quia una eademque lege constrictos? Adde: sub exilii pœna Alearum ludo patriciis, & plebeis Rex interdicat, diceres idcirco, patriciis æquatos plebejos? Infremerent contra Dialecticæ, & quotquot boni sensus sunt normæ. Age nunc & cogita, qua de re ille, quem versamus, Canon pertractet; scilicet incontinentia, quæ sagulum, & purpuram, divitem, & pauperem, excelsum, & imum, paribus armis aggreditur, erat refrænanda, & hujus illicita longe removenda, quorum præcipuum irritamentum est mulierum contubernium: an non hoc Episcopis pariter ac Presbyteris nolis interdictum iri? An Episcopatus furentibus concupiscentiæ æstibus gelidam vi sua objicit, ut Episcopus in gradu suo fir-

firmiſſime se teneat, & in carne spiritui penitus subjecta felix ac tutus imperiret? Utinam ut in Presbyterum, ſic in Episcopum peſtis illa non grasſaretur.

At Episcopi & Presbyteri (qui 12. Canon eſt) ex una in aliam Eccleſiam commigrare vetantur. Teneo. Ego Parochus, & tu Episcope reſidere jubemur, ſtationemque deserere vetamur. An quia unum & idem de me Parocho, & de te Episcope, jura decernunt, pares erimus?

Nec minus, imo longe infirmius illud, quod ex compreſſa Diaconorum insolentia attexitur. An non animadvertendum in iſtos? Injuriosos Diaconis ipſis acolytos impune dimiſiſſes?

2. Peracutus Noſter præsentit horum omnium imbecillitatem, & disertius illud, luculentiusque, quod pro suis Presbyteris deſiderabat, præclare inveniſſe ſibi videtur in ipſius Nicæni judicio ratum eſſe jubentis quicquid Alexandrinum Concilium, cui adfuerant Presbyteri, contra Arium decreverat. Confirmaſſet ne, ſi Presbyteri judices fuiſſent illegitimi?

Patiatur tantisper doctiſſimus Noſter totius negotii hujus nos seriem, prout a probatiſſimis accepimus Hiſtoricis, hîc breviter exponere. Arium insano furore percitum fruſtra ad bonam mentem revocare, multis variisque modis conatus fuerat S. Alexandrinus Episcopus Alexander; nihil intentatum reliquerat, ut perditiſſimum nebulonem Chriſto lucrifaceret; cum nil proficeret, multosque ab impio dogmatizante in dies cerneret corrumpi, peſtemque in plurimorum perniciem latius ſerpere & evagari, Concilium Alexandriæ

coe-

coegit, in quo de Ario synodali animadversione decerneretur.

Advenere Episcopi; centum adstitere & Presbyteri & Diaconi, quod (sit semel dictum) ne mireris. Cum enim perditissimi hæresiarchæ dogmata essent excutienda, sophismata exsufflanda, cavillationes disjiciendæ, veritas ex Scripturarum & sacræ Traditionis fontibus eruenda, perutilem in his operam navare poterant Presbyteri, & Diaconi doctrina eminentiores.

Sic in maximo Nicæno concilio (cujus occasione hæc innuimus) novimus celeberrimum Athanasium tunc Diaconum, quem idem Alexander secum duxerat, acerrime disputantem, & confusione hostes fidei suffundentem inclaruisse. Sic posterioribus temporibus cum essent generalia concilia habenda, scimus undique doctissimos Presbyteros seculares regularesque (Theologos Consultores vocant) accitos. Hi egregie instructi ad veritatis amussim perduellium dicta, sententiasque expendentes judicabant, quænam essent nigro carbone notanda, quænam ferenda; anathematismos cudebant; deinde cuncta Episcopis exhibebant in generali sessione proponenda, & probanda, nec doctrinale (liceat sic loqui) illorum judicium Fidei Catholicæ dogma poterat haberi, & esse, nisi in generali sessione Episcoporum fuisset auctoritate probatum, & ab Ecclesia (quæ per generale concilium repræsentatur) fidelibus propositum.

His tamen in sessionibus nullus inde Presbyteris illis Theologis concessus locus est, cum Prælatorum tantum Ecclesiæ, illorumque, quibus ex pri-

privilegio justa ceteroquin de causa id sit indultum, hoc proprium sit, nec doctrinæ aut humanæ prudentiæ, sed Spiritus S. directioni, quam Ecclesiæ Pastoribus pollicitus est Christus synodalium decretorum ασφαλτια (infallibilitas) referatur accepta.

3. Ergo sicuti nunc in peculiaribus, ac generalibus, ut vocant, Congregationibus facta discutiuntur, doctrinæ examinantur, invitantur novatores, disputantes audiuntur; sic tunc temporis, cum inductæ non essent hujusmodi Congregationes, in ipsis Conciliis, seu sessionibus cuncta transigebantur. Hinc Presbyteri, de quibus loquimur, sicuti nunc a Sessionibus sollemnibus excluduntur; sic tunc, nulla cum esset Congregationum ac sessionum differentia, fere semper erant Episcopis juncti. Illis ergo integrum erat referre, disputare, accusare, testimonium ferre; at judicium erat Episcoporum, nec nisi his volentibus accessus illis ad Concilium patebat.

Evidenter id ex epistola Constantini ad Ablavium supra deduximus. Audivimus etiam Chalcedonensis concilii PP. clamantes: *Mittite foras superfluos: Concilium Episcoporum est*. Quid si cum per hos aliquid turbandum præviderent ii, quorum intererat, paci, & quieti consulere, diserte cavebant, ne admitterentur. Qua de re extat, cum de hoc ipso Chalcedonensi concilio convocando agebatur, insignis S.Pulcheriæ Augustæ ad Straregum Bythiniæ Consularem epistola, in qua præcipit, ut urbe, & vicinis regionibus submoveat Clericos, Monachos, Laicosque, qui jam tumultuari, & cuncta inceperant miscere.

Quod ipsum inconcussa sequentium sæculorum me-

monumenta evincunt. Ab his edocemur ipsa nationalia Concilia semper Episcoporum fuisse. S. Avitus Viennensis, & S. Viventiolus Lugdunen. Metropolitæ anno 517. Nationalem Synodum, ad quam omnes ex Burgurnia Episcopos invitarunt, habuere, quamvis aliquantulum varia ratione. Avitus enim in convocationis edicto rogavit Episcopos, ut adessent ipsi, nec nisi infirmitate cogente quisquis eorum duos pro se Presbyteros surrogaret. Viventiolus vero non solum Episcopos convocavit, sed & omnibus Ecclesiasticis se Concilio sistendi potestatem fecit; discriminis tamen hos inter & illos expressit ibidem rationem, scilicet Ecclesiastici venirent, ut regularum, & statutorum ab Episcopis conditorum essent ipsi populo testes. Atqui hi Metropolitæ si contrario agendi more Presbyterium læsissent, Presbyteri hæc videntes nonne inclamassent continuo Avitum ab avita justissima disciplina recessisse; Viventiolum Presbyteralium jurium eversorem, traditam a PP. Conciliorum formam corrumpere? An calamitatem tantam taciti omnino pertulissent?

Me longe provectum sentio; nunc redeo ad Alexandrinum, cujus ergo tota hæc disputatio suscepta est. Alexander ergo centum Episcoporum decernentium judicio fretus, Presbyterisque plaudentibus, & probantibus, factumque collaudantibus, Arium notorium refractarium de Ecclesia ejicit, & Synodale Decretum firmissimum pro domo Domini murum objicit adversariis.

Verum ingravescente in dies morbo, cum per multi se Ario socios addidissent, & Eusebius Nicomediensis in primis perditissimi hæretici patroci-

ci-

cinium susceperisset, jam Alexandriam peste prætergressa, & supremum non vicinis modo, sed & longinquis regionibus minitante exitium, idem Alexander suos in fide confirmat, encyclicaque ad omnes Ecclesias scripta epistola plena sollicitudinis, & Arii vesaniam in Alexandrino Concilio anathemate ictam, ipsumque pessimum novantem excommunicationis mucrone ab Ecclesiæ gremio succisum denunciat, atque proinde omnes ab eo caverent, quem velut in malorum barathrum prolapsum exhorrescerent.

Huic epistolæ ut debitum robur adderet Alexander, ac fidem ubique conciliaret, convocato Clero non solum Alexandriæ, sed Mareotidis eos collaudat, quod submisse, omnique pietate Synodalibus adhærerent decretis, Fideique, quam Apostolis magistris hauserant, puritatem egregie servarint; utque omnibus exemplo suo præeant, & dilucide clara voce testentur se ab hæresi, & a proscripto illius auctore magis, quam a morte abhorrere, hortatur, ut epistolam illam suis subscriptionibus muniant, atque anathema dicant Ario, eumque asserant juste ab Ecclesia segregatum. Paret uterque Clerus; subscribunt Presbyteri, & Diaconi; Encyclicaque circumfertur.

Hæc est germana rei gestæ narratio, quam paucis verbis apud Nostrum Epiphanius (nec enim hic Historicum agebat) exprimit; neque aliquid nobis adversi in Ephiphanii verbis deprehenditur, quæ frustra ad suum sensum Noster nititur detorquere. Vides ibi, quod *Alexander quæstionem habet; quod diligenter examinat; Alexander veritati cedere detrectantem ejicit ex Ecclesia, ac tota civitate proscribit.*

Vide, si his positis stare queant illa tria, quæ ex hoc facto Noster infert. 1. Quod in gravissima fidei quæstione cum Episcopis Presbyteri sententiam ferunt = Negamus ex dictis. 2. In refractarium Presbyterum non Episcopus solus, sed totum Presbyterium anathematis, ac proscriptionis pœna animadvertunt = Negamus ex dictis. 3. Judicium hoc, quo nihil momentosius, magna Nicæna Synodus confirmat, non profecto confirmatura, si Presbyteri judices fuissent illegitimi = An recte procedat illatio videant Dialectici. Placet interea nobis sic ratiocinari: laxas permultas in Ethica Christiana propositiones damnavit Clerus Gallicanus, quas easdem damnavit paulo post Sedes Apostolica. Ergo infallibile fuit judicium Cleri Gallicani? Affirmabis, quia alias Sedes Apostolica non confirmasset judicium illud? Nos id negamus, oramusque, ut advertas omnem hæresim statim ac erumpit, horrorem in ipsis rudibus hominibus excitare, & statim ab ipso popello anathematizari.

An opus erat Ephesini definitione, ut BB. Virgo Θεοτοκος crederetur? Statim ac Sathanæ minister ille jussu Nestorii id primum inficiatus est in quodam sermone, nonne ingens in Ecclesia tumultus? Nonne, quod ipse fateris, omnium animi indignatione permoti? Nulla unquam extitit hæresis vel ab Ecclesia in Concilio congregata, vel a solitaria Petri Cathedra proscripta, quam non ante publicus rumor, & popularis ipse clamor non proscripserit. Ergo dum Ecclesia damnavit hæresim, dum popelli judicium probavit, nos in popello infallibilem reverebimur auctoritatem, quia si infallibilis ille non esset, Ecclesia ejus ju-

judicium non confirmasset?

4. Pergit Theologus noster, & simili argumentatione a Chalcedonensi Concilio, quod acta C.P. Synodi confirmavit, cui Synodo Presbyteri 23. subscripsere, validum causæ suæ robur addi opinatur.

Poterit eadem, quam dedimus, responsione Noster esse contentus; tamen jejuni nolumus videri; & multa addere possemus habentes jam ad manum Synodi illius acta, quorum sola inspectio causam nostram mirifice commendat; nulla enim in illis deprehendes, quibus asserta Presbyterorum jura non dico confirmentur, sed potius evertantur. Innuamus nonnulla. Synodum convocaverat Flavianus Episcopus C. P. ad finiendas quorumdam Episcoporum lites, quos inter de jurisdictione erat certamen. Nullum de fide negotium SS. Episcopo, nullum Synodo propositum; cum ecce adstat Dorilæus Episcopus Eusebius homo ingenio, ut apparet, ad iram præcipiti, immodico æstuans zelo, Eutychetem hæreseos reum postulat, accusatque. Quam graviter id Flavianus acceperit, quidque ad avertendum ab incepto Dorilæum egerit, habes ibidem. Præscium futurorum dixisses.

Jam vides, quid hæc exordia portendant; nimirum agebatur quæstio de jurisdictione, Catholicosque inter Episcopos lis erat. An ad has componendas evocandi Presbyteri? Sed quæso pergamus; legenti C. P. illius Synodi acta occurret Abbas Martinus, ad quem cum tomum suum (magna de hoc tomo ibi, & iterata mentio) subscribendum Eutyches misisset, respondisse ille fertur: *Non nostrum est, sed Episcoporum re-*

gulis fidei subscribere. Atque in illa Synodo accusabatur constantissime Eutyches 300. Monachorum Archimandrita, vir devexa ætate, magni nominis, cujus in confutando persequendoque Nestorio laus non vulgaris in Ephesino Concilio.

Attamen instabat acerrime accusator: Monasteria per illum corrupta, fidemque orthodoxam pessumdatam clamans. Quot testibus ad tantam rem confirmandam opus? Monachi evocandi; ab his Eutychetis consilium, mens, doctrina exquirenda. Ecce Presbyteri non judicum, sed cursorum vice fungentes Eutychetem, qui se in Monasterio tenebat, missi a PP. ad Concilium vocant, eique imponunt vadimonium. Non vacat hic cetera cuncta persequi; quid quæris? Eutyches damnatur, Synodalique sententiæ subscribunt Episcopi 23. item Abbates 23. quorum 18. erant Presbyteri, unus Diaconus, quatuor laici.

Quæro, an subscriptio hæc id Presbyteris afferat juris, quod contendit doctissimus Noster? Ego nunquam arbitrabor. Erant illi subscribentes, ut audivimus, Abbates Monasteriorum sub Eutychetis Archimandritæ directione positorum. Et vidimus supra, quid in hujusmodi sit juris Abbatibus; Præterquam quod nunquam opinabor velle Nostrum laicis fidei tribuere judicium; quorum laicorum quatuor ibi deprehenduntur subscriptiones.

Igitur sic concludo: Episcopos, ut tuti redderentur de illorum Abbatum orthodoxia, illos ad subscribendum impulisse: magnum quippe illud erat momentum, quo Monachi contra Archimandritæ molitiones in fide retinerentur, si vades, & testes subscriptione illa Synodalium decretorum

apud

apud suos hi fierent Monachos, executionemque statutorum in se reciperent. Hoc ergo munimine contra vicinorum impetus hostium sacra claustra boni illi Præsules septa voluere.

§. XIX.

SUMMARIUM.

1. *Antiocheni canones indigni, qui vocentur in subsidium a Theologo nostro.*
2. *Quomodo dicantur probati a Chalcedonensi.*
3. *Indignamur Theologo nostro commentarium edenti in quartum Sathanici illius conventiculi canonem.*

À pag. *64.* ad *66.*

1. CONflictatur deinde doctissimus Noster cum Antiochenis canonibus. Fatetur sub initium se posse Concilii illius auctoritatem defugere, quod a Julio PP. Athanasio, ac Chrysostomo canones hi rejecti fuerint, atque explosi, utpote minus justi Concilii, sed velle hos producere, propterea quod in Codicem, quo Concilii Chalcedonensis tempore utebatur Ecclesia, relati fuerint, & accepta, quæ iis sancita fuit, disciplina.

Quis Nostrum ista præmonentem non miserum dixerit Eranistén subsidia undique corradentem, nec satis videntem cadat res, an recto stet talo. Ego certe trioboli scriptor, qui sum, si capite periclitarer, possemque in illis Antiochenis canonibus invenire perfugium, dignarer illos invocare? Vah conventiculum Sathanæ, furoris Episcopalis

 triste

triste monumentum, historiæ probrum Antiochenum damnatum a Sardicensi Synodo, damnatum a Julio I. deinde ab Innocentio summis PP. proscriptum ab Athanasio, Chrysostomo, & ab omnibus piis anathematizatum.

Conciliabuli illius iniquitatem sapientissime coram Arcadio Imperatore arguerunt Elpidius Laodiceæ in Syria Episcopus, & Tranquillus, quorum ingeniosissimum ad infringendos Chrysostomi hostes hac de re consilium vide apud P. Orsi Hist. Lib. 23. num. 5. Animadvertendum hic Socratem inter hujus Antiocheni conventiculi vitia illud enumerare, habitum illud sine Romani Pontificis consensu, *cum tamen Ecclesiæ Canone*, ait ipse, *cautum sit nullum, nisi Romano Pontifice consentiente fieri posse in Ecclesia decretum*.

Ergo pudere debuisset Nostrum his maculis egregium adspergere sui voluminis splendorem. Ceterum hoc idem conciliabulum non adeo propitium se præbuit Presbyteris. Vide can. V. Quod si quædam utilia in his canonibus deprehendantur, id non mirandum, cum & dæmones ipsi honorificum Christo apud Lucam perhibuerint testimonium, & Caiphas prophetarit, & puella Act. XVI. Spiritum Pythonem habens magnifice de Paulo, & sociis testificata sit: *Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis*. Vellemus a melioribus legum latoribus fuissent illa profecta.

2. At a Chalcedonensi Concilio probatos novimus Antiochenos canones. Horum magnus in Ecclesia sequentibus temporibus usus. Obsecro, de quibus Antiochenis canonibus loqueris? Scito aliam Antiochiæ diu ante fuisse Synodum celebra-

tam,

tam, præside S.Eustathio illius urbis Episcopo. Ex quo canones, quos commendatos audivimus, nebulones illi suum in conciliabulum transtulere, ut advertit Clarissimus Tillemontius. Non ergo Arianis, sed SS. Episcopo, ejusque sociis Antiochenos, qui laudantur canones, acceptos referas. Canones autem hujus conciliabuli proprios quæ μαρια informet, quantum reprobus animet Spiritus, vide apud cit. P. Orsi Lib. XIII. Hist. num. 19.

3. Temperare tamen mihi non possum, quin altius clamem in Theologum nostrum audentem aliquid commentari in canon. IV. Antioch. Hic est celeberrime infamis canon ille, quem invidia expressit, furor extorsit, hæretica pravitas procudit. Hunc in canonem peculiari modo detonuere Julius, & Innocentius PP. Hunc Sardicensis Synodus (qualis Synodus!) conculcavit. Hunc 42. Episcopi Chrysostomo adhærentes diris devoverunt. Atqui peregerat idipsum multo ante Magnus Athanasius; totiusque orbis Catholici vota in illius reprobatione convenere. Et tamen Noster dignum existimat illum, in quem longum edat commentarium. Vide quo partium studia abripiant hominem!

§. XX.

SUMMARIUM

1. *Rursus de Magno Nicæno Concilio.*
2. *Theologi nostri non ferenda hallucinatio.*
3. *Sensus Sardicensis Concilii.*
4. *An jure exultet Noster in Africanis Conciliis.*
5. *An recte ex Chalcedonensi argumentetur.*

A pag. *66.* ad *69.*

1. NUllam prolixam, molestam nullam putaverim orationem, quæ mihi de Magno Nicæno Concilio verba fecerit. Erit igitur jucundissima semper hujus mentio, centies licet milliesque habita. Placet ergo, quod iterum Noster de illo sermonem instituat. Vehementer autem displicet, quod rem confecturus in ipso exordio Eusebium, qui Concilio adfuit, nominat testem. Pro sublestum, & nulla fide dignum, mendacissum nimirum testem! Insignis hic Arianorum signifer tanto odio in magnum illud Concilium exarsit, ut huic nullum in Historia sua locum dederit. Potuisset ne nobiliori exitu historiæ finem imponere, quam magni Nicæni Concilii commemoratione? Ast noluit; & cum historiam prope ad tempus Concilii perduxisset, illam absolvit, scilicet ne probrum suum (manifestissimum ceteroquin) suo cogeretur ore fateri. Novimus & nos ille quam subdolus sit in epistola, quam Nicæa, stante adhuc Concilio, ad Clerum suum

ſuum miſit, ubi rerum Nicææ geſtarum, & Synodicæ fidei definitionis ipſum facit certiorem; quam perverſa interpretatione cuncta ad Arianum ſenſum conatur detorquere?

Quis vero facile dixerit, quot dolis, fraudibus, & technis egerit Euſebius idem poſtea, ut luculentissimum dogma contra Arianos Nicææ aſſertum everteret? Fuit ne ullum in magnum Athanasium Sathanæ conventiculum, cui non ille præfuerit? Confer in primis, quæ S. Epiſcopus Potamon ei objecerit in Tyrio conciliabulo; quo pudore ſuffuſus ille ſeſsionem abruperit, & diſceſſerit. Vide Epiphan. Hereſ. *69.* Hujus ergo accipiemus teſtimonium? At quid ait?

Ait (cui aſſentitur Noſter) Epiſcopos, qui Synodo interſuere ad ducentos quinquaginta fuiſſe: Hui! 318. omnis commemorat antiquitas. Eliditur ergo, & mendacio ſuo ſe deſtruit Veteratoris teſtimonium. *Non*, ſubdit Noſter, ſi verum eſt (en ejus ſenſum) 318. *fuiſſe PP. Nicænos, ut communis fert opinio, ad numerum relatum ab Euſebio deſiderantur 66. Hos vult ipſe Presbyteros fuiſſe, quandoquidem ait ipſe 66. indigemus.*

Sed indigemus ſana mente, ut videamus iniquum nebulonem de tanti Concilii voluiſſe auctoritate detrahere, Epiſcoporum, qui ibi aderant, numerum minuendo, quem numerum si quis vellet in dubium revocare, perinde eſſet ac totius hiſtoriæ fundamenta disjicere.

2. At ex Concilio Aquilejensi Theologus noſter invictum depromit argumentum ad conjecturam ſuam firmandam, imo conjecturam illam tanto

mo-

monumento oblato *in evidentiam commutandi.* In hoc enim Concilio S. Ambrosius exprobrat Attalo Presbytero Ariano: *Subscripsisti in tractatu Nicæni Concilii, an non?* Cumque ille dixisset: *Non tibi respondeo:* Ex Episcopis unus se Attalum subscribentem vidisse testatur: *Sabinus Episcopus dixit: Testes sumus nos Attalum subscripsisse in Concilio Nicæno.* Triumphat Noster, aitque: *Hic igitur Presbyter erat, subscripserat non post temporis intervallum, sed in tractatu Nicæni Concilii. Quid ergo amplius desideratur, ut appareat hunc Attalum Concilii Nicæni Patrem extitisse?*

Placet, & adprecamur Theologo nostro tot annos, quot ipse Attalo Presbytero, & Sabino Episcopo tribuit. Credideris? unum Nestorem fabula finxit, & duos hic exhibet Noster. Et quidem Nicænum Concilium habitum fuit anno 325. Aquilejense anno 381. scilicet 56. post annos a Nicæno. In Nicæno Attalus jam erat Presbyter; præterea scimus temporibus illis provecta jam ætate ad Presbyteratum Ecclesiasticos promoveri solitos fuisse. Quot ergo tunc annos natus erat Attalus? His adde 56. profecto si non Nestorem, habebis certe depontanum, silicernium, recalvastrum senem, larvam, & indignum non putabis Ambrosio cum hujusmodi de fide quæstionem movere, cujus emotam mentem in crimen vocari ipsa senectus vetabat? Quod de Attalo dicimus, potiori jure de Sabino Episcopo non invitus affirmabis dicendum.

Dum ergo audimus Attalum subscripsisse *in tractatu Nicæni Concilii, in Concilio Nicæno,*

id

id non ita debemus accipere quasi Attalus Concilio adsuerit, & subscripserit; nec illum videre potuit Sabinus ibi subscribentem. Sed exploratum esse debet fidei formulam a Nicæno conditam Attalum longo post tempore ratam habuisse, illique subscripsisse. Scilicet scimus formulam illam tanquam lydium lapidem, ad quam eorum, qui suspecti erant, explorabatur fides, sequentibus temporibus fuisse ab Orthodoxis semper propositam. Sic Eusebius in Concilio Mediolani coacto declarans e præsentibus quosdam sibi compertos hæretica labe pollutos, Nicænam fidem, antequam cetera tractarentur, iis subscribendam proposuit. Factitatum id quoque frequentissime, & scimus novissimis hisce temporibus Bullam UNIGENITUS passim propositam iis, qui de dogmatibus in Jansenio damnatis suspecti erant, subscribendam.

3. Si ad illa, quæ supra de Sacerdotii excelsa dignitate innuimus, parumper mentem convertes, non miraberis, cur Sardicense Concilium *Summas Ecclesiæ Dignitates*, Episcopatum, Presbyteratum, ac Diaconatum nominet; & ad Valentinum Concilium depositionis pœna in Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos animadvertens, qui de crimine quopiam in ordinatione fuerant convicti; responsio patet ex dictis ad Nicænum Canonem, ubi de interdicta Ecclesiasticis subintroductarum mulierum cohabitatione.

4. Nullibi firmius causæ suæ præsidium collocari posse clamat Noster, quam in Africanis Conciliis. *Nullibi*, sunt ejus verba, *hæc nostra magis exultat disputatio*. Sed quantum lacrymabilem, & indignam dissensionum segetem Afri-

cana

cana plerumque Concilia in Ecclesiam intulere! Quis ignorat quantum tria illa, magno ceteroquin Præside Cypriano, habita de rebaptizantium quæstione Concilia incommodaverint? Quis unquam credidisset in horum ultimo, quo 85. convenerant Episcopi pertinacius actum contra veritatem? Hinc exultarunt quam maxime in his Donatistæ; contra ea sudavit, & alsit Augustinus, cum Cypriani objiceretur auctoritas; cum tot Episcoporum judicium manifesto Scripturarum, ut clamabatur, sensu firmissime constabilitum, esset evertendum.

Quid deinde dicam de aliis quamplurimis Africanis Synodis, ubi de appellationibus ad primam Sedem? Reminiscere Zosimi, & Bonifacii; revoca in memoriam fidem Apostolicis Legatis denegatam; tum Nicæni Concilii Acta toto orbe quæsita. Et ne in longum abeam, quis Novatorum contra Romani Pontificis primatum pugnaturus ex hoc Africanorum armario Conciliorum tela non depromsit? Mitto quot, quibusque modis jurium Romanæ Cathedræ osores Africana invocent Concilia, pessima exinde consectaria deducentes; ut non solum in bellicis, sed & in his quoque rebus accipiamus Didonis apud Poetam imprecationes, quibus Africam in Latium incitat:

Nullus amor populis, genti nec fœdera sunto;
. . . . . *Pugnent ipsique nepotes.*

Gravissime ergo me afficit hæc nostri in Africanis Conciliis exultatio; at videamus, num justa sit illa.

Profert Can. 23. Conc. Carthag. IV. *Ut Episco-*

scopus nullius causam audiat absque præsentia Clericorum suorum. Alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur. Videat, qua de re hic agatur. Forensis agitur materia. Conqueri potuissent excommunicati se injuste Episcopali potentia oppressos; caussam nec bene discussam, corruptisque, vel livore infuscatis agentibus testibus fuisse processum. Honestati igitur Episcopali consultum voluerunt Synodi PP. illam judiciorum exercendorum instituentes rationem, cui neque improbi ipsi possent adlatrare. Non ergo recte ad alia exinde consecutio protenditur.

Ast *irritam clamant esse sententiam, nisi modo prædicto fuerit lata*. Detur id humanitati, caritati, bonitati (accipe ut vis) Episcoporum illorum de jure suo decedentium. An alias dices solitarium Episcopum excommunicandi potestate carere? Scito esse actum illum Episcopali potestati divinitus acceptæ insitum, namque Pastoris, & non aliorum est, morbosam ovem ab ovili segregare. Presbyteri autem ipsi quid nisi oves? Regantur ergo a Pastore potius, quam regant Pastorem.

Nec minus etiam infirmum est, quod sequitur ex Can. 21. *Ut Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet*. Nimirum matriculæ (ut loquebantur) Ecclesiæ tunc omnes Clerici erant adscripti. Quapropter unius alteriusve non receptio poterat jam receptis incommodare. Quod dimensum paucioribus erat numerandum, in plures distributum jam prioribus decrescebat. Et hic quoque effusam Episcoporum

be-

benignitatem mirare concordiæ, & tranquillitati totius Ecclesiastici corporis studentium.

Verum mirari non desino Theologum nostrum ex his leviculis, & nullius pene momenti concessionibus in Presbyteros collatis maxima velle deducere: *Sunt nimirum Presbyteri Episcoporum collegæ in Ministerio*. Et quomodo, o bone? Nimirum quia Can. 34. statuitur: *Ut Episcopus quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur*. Et Can. 35. *Ut Episcopus in Ecclesia, & in consessu Presbyterorum superior sedeat; intra domum vero collegam Presbyterorum se esse cognoscat*. Quare subdit ipse: *Insanirem profecto, si commentando clarissimis hisce verbis lucis aliquid adspergere studerem*.

Insaniremus ipsi, si aliter decretum animadverteremus. Ubi illud gravissimum Christi: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor*. An non oportebat Episcopos coram, & magna voce Christianæ humilitatis exempla præbere, seque non esse illos *Dominantes in Cleris* dilucide protestari? Ne obliviscamur illud Domitii, & super corruptis hodiernis moribus, & gravi dominatione, qua premuntur a nonnullis nuperis Prælatis Ecclesiastici doleamus.

5. Interim Noster victoria elatus majestatis plenissima voce exclamat: *His ita statutis, & cui mirum poterit esse, si Presbyteri Conciliis intersunt, consultant, deliberant, suffragium ferunt, subscribunt?* Ita ne vero? At si nostra contemnis, audisses tamen Pii nostri bullam. Commotus es ad illam, scio. Videbas quanto exitio aperiebatur janua. At sanam mentem eripuit ille Tuus,

&

& te retractare ista cupientem deterruit. *Id modo magnæ Nicænæ Synodi exemplo evicimus*. Non mu tum, ut arbitror, feliciter. *Paulo superius Ephesini Concilii verba audivimus, Presbyteros Concilii membra appellantis*. Probavimus locutionem, & quomodo accipienda, declaravimus. *Aliquid etiam ex Chalcedonensi promamus*.

Nos antequam occurramus his, quæ ex Chalcedonensi Concilio depromit, advertendum monemus in primis, evertendum fuisse in sacratissimo illo sexcentorum, & amplius Episcoporum Conventu infame Latrocinium Ephesinum, in quo pessimus ille Alexandrinus Præsul turpissimi eunu-nuchi Chrysaphii omnipotentis in aula ministri favore suffultus, stricto per nefarios Satellites suos mucrone, eo, quo voluit, terrore perculsos Prælatos adegit. Ibi omnia jura conculcata, Romani Pontificis spreta auctoritas; justitia vexata; damnata innocentia. Horum omnium rationem reddere debebat in Chalcedonensi perditissimus ille nomine Dioscorus. Dic sodes, quot testibus opus, ut tanta crimina juste possent impingi, quot viris in Scriptura, & Traditione versatissimis, qui fidei regulas fœde dilaceratas per Sathanæ ministros evidenter ostenderent?

His perpensis videbis facile Presbyteros illos passim testium, passim Theologorum, ut dicimus, Consultorum partes, & suscepisse, & sustinuisse, cum nullæ tunc, ut supra diximus, generalibus sessionibus præmitterentur Congregationes, ubi facta expenderentur, refutarentur errores, adversarii convincerentur, veritati suus

con-

constaret honos. Audis: *Theophilus RR. Presbyter dixit?* At non audis? *Ego Theophilus Presbyter definiens subscripsi.*

Quid porro miraris, si lecta Eutychetis confessione reclamatum sit, *quod ea Nicænæ Fidei, vel adderet, vel detraheret?* Doctrinale judicium hoc dicam, si Presbyteri sic reclamarunt; nondum fidei decretum habemus. Habemus, si judicium, quorum erat (Episcoporum scilicet) fuerit vox illa ab ore profecta. Quod si Episcoporum una cum Presbyteris vox fuit illa, hos plaudentes, illos decernentes dicemus, cum vox Presbyterorum sit vox Episcoporum, & tunc Presbyterorum verba ligabunt, si per organum istorum ab Episcopis derivata transmittantur, & sic de Presbyteris accipiemus illud Christi: *Qui vos audit, me audit.* Ac si propterea voluerit Presbyterorum aliquis de se gloriari, illum irridebit Poeta:

Stulte tu non es Deus, sed fers Deum.

§. XXI.

§. XXI.

SUMMARIUM.

1. *Monumenta ab Ecclesia Romana depromta Theologo nostro non suffragantur.*
2. *De judicio Syricii Papæ contra Jovinianum.*
3. *Quo sensu Felix Papa dixerit: Apostolicum thronum teneri a se, & ab his, qui secum erant.*
4. *Acclamationes in sequioris ævi Conciliis usurpatæ nil oppositæ nobis sententiæ roboris addunt.*
5. *Discutitur Anastasii narratiuncula de vi pene illata Eugenio I.*

A pag. *69.* ad 71.

1. NE nobis molestus sit Doctissimus noster, neque nobis objectet, quæ ipsi vetustatem rimanti Principis Ecclesiæ occurrunt monumenta, meminerit primæ illius Cathedræ Magistros Universæ Ecclesiæ Pastores, & Doctores, ut celsitudine gradus cunctis eminebant, sic modestiæ & Christianæ humilitatis laude longe super omnes peculiarium Ecclesiarum Rectores floruisse. Hi singularem in modum sibi Christum locutum putabant, cum edixit: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor*. Memoria etiam iisdem non exciderat illud Petri, in cujus successionem divinitus se missos credebant: *Seniores . . . obsecro consenior* Pet. 1. Cap. 5. Quam præclare in hanc sen-

tentiam loquitur Gregorius M. epist. 59. Lib. 9. ad Johannem Episcopum! Ubi memorabile illud: *Cum culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt.* Sed hujus tanti Pontificis sensa quoad hoc supra posuimus.

Ad quæ si paulo diligentius Noster animum convertisset, non multum præsidii sibi comparatum intellexisset in iis, quæ colligit vetustorum Monumentis Pontificum. Ea enim sunt ejusmodi, ut sicuti in magnam nos SS. illorum admirationem rapiunt, qui tanta Presbyteris officiosissime largiuntur, sic nullum his jus quæsitum facile nobis significent. Et tunc quidem singularis Presbyterorum illorum pietas, & firma adhæsio Pontificiæ Cathedræ talia promerebantur; nullius exinde incommodi in publica commoda periculum; caritas ex æquo fervebat utrinque.

Cum vero rebus sequioris ævi vitio in deteriora prolapsis, dominatione invecta, & superbia grassante iniquitatis filii favoribus ipsis abuterentur, hinc factum est, ut cautius sibi procedendum summi Hierarchæ ducerent, & ad omnia removenda pericula, quæ exinde possent emergere, potestatem sui characteris luculentissime exererent. Hinc passim videmus in ipsis Generalibus Conciliis, si Pontifices adessent decisiones, definitionesque his unice tributas sollemni illa formula: *Sacro approbante Concilio*. Quid si & hoc ipsum interdum visum est quid nimii & magni portendere? Etenim novimus in œcumenica Synodo Lugdunensi, Innocenrio IV. doctissimo Pontifice, non fuisse dictum: *Approbante, sed Sacro præsente Concilio*.

Hoc exemplum necessitate cogente secuti sunt

ad

ad modum suum Episcopi, qui non adeo magnifice de suis Presbyteris sentire coeperunt: quocirca sensim ad hos mores deventum; & nos dum Episcoporum quorumdam fastum, potentiam, tumorem detestamur, dumque illiberaliter & dure nobiscum actum conquerimur, injusti sumus, quia perpendere nolumus vitiis nostris id factum, dum filii in parentes consurgere voluimus, mutuumque caritatis vinculum, quo illis colligandi eramus, primi dissoluimus, ac fregimus. Sed de his fortasse plusquam oportuit. Nunc ad rem.

2. *Syricius Papa*, inquit Noster, *Presbyterio coacto Jovinianum damnavit: Facto ergo Presbyterio constitit Christianae legi esse contraria... omnium nostrum tam Presbyterorum, quam Diaconorum, quam etiam totius Cleri una suscitata fuit sententia*. Subdit: *hanc damnationem, uti par erat, ratam habuit Ambrosius*. Scilicet hoc deerat, ut summae gratiae loco apponeretur Ambrosium probasse summi Pontificis sententiam.

Quid his sibi vult Doctissimus noster? An non debuit Syricius Presbyterium cogere? Alias quomodo impurissimi illius Epicuri deliramenta innotuissent? Quomodo deinde insanorum Dogmatum auctorem, judiciumque latum remotiores regiones, ad quas perlatus, vel perferendus erat spurcissimus & inconditus illius liber, potuissent agnoscere? An optabas Syricium nocte intempesta in cubiculo clanculariùm prorsus in tanto negotio se agere? Igitur jure Presbyterium coegit, sollemne indixit judicium, sententiam tulit cunctis praesentibus: Cum satis in illo conventu con-

ſtitiſſet Novatoris illius Dogmata contraria eſſe Legi Chriſti, quid mirum, ſi omnium una fuit ſententia? Sententia ſcilicet non judicialis, & vim obligandi inferens, ſed doctrinalis, plaudens Pontificio decreto, juſtitiæ teſtis, & nuntia publici conſenſus. Hoc niſi dixeris, jam cogeris non ſolum in Presbyteris, & Diaconibus, ſed in Minoribus quoque Clericis judiciariam & definitivam illam poteſtatem agnoſcere: *quia totius Cleri una ſuſcitata fuit ſententia*.

3. At fortiora videtur arma præbere Felix Papa epiſt. IV. qui exauctorato Gnaphæo Alexandrino: *Firma ſit*, inquit, *hæc tua depoſitio a me*, & *ab his, qui una mecum Apoſtolicum thronum regunt*. Item epiſt. 7. Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos *Eccleſiæ ſumma faſtigia* nuncupat. Avidissime hæc arripit Noſter, & fortiter tractat.

Ego ut tecto latere excedam, in primis profiteor Eccleſiam non poſſe in ſuis decretis ſibimetipſam eſſe contrariam, ut quod ſemel verum ſtatuit, & credendum ut fidei regulam propoſuit, idem poſtea ſuo judicio infirmet. Etiam ſcio ſæculo elapſo Pontificio decreto damnatum librum, in quo aſſerebatur Petrum, & Paulum pari auctoritate in Eccleſiæ gubernaculo ſediſſe, & tunc non unum, ſed duos fuiſſe ſupremos Eccleſiæ Rectores; nunc cum plures videam non ſolum clavo assidere, ſed una Apoſtolicum thronum tenere, veniat rogo Œdipus meus, qui ænigma diſſolvat, & laqueum, quo adſtringor, relaxet. Sed ridebit hic Theologus, ſcio; centies enim dixit Presbyteralem, quam aſſerit poteſtatem, Epiſcopali (quanto magis Pontificiæ) eſſe obnoxiam, hoc

&

& alia hujusmodi disertissimus homo reponet.

At imperitissimus ipse hæreo Throni in juribus meditabundus; hæc summa sunt, hæc inalienabilia (ut loquuntur Jurisconsulti) sunt. Quomodo ergo sedentem throno alteri obnoxium facies? Si duo sedent, jam pari jure gaudent; junctis consiliis rem gerent. Unus tamen alterum supra se non patietur. Fuerit is Felicis forsan sensus in verbis supra positis. Summa concordia Felicis & Presbyterii res steterit, insimul gubernarint; imo, si placet, Felix, ut canit Poeta, rerum dimiserit habenas, tenuit ne tunc jure suo Apostolicum thronum Clerus ille? Hoc affirmaris? Discessum ergo est a jure Divino, quo unus universali Ecclesiæ præpositus dignoscitur; jam non unus Pastor; jam nullus, qui confirmet fratres suos; jam tota fremente contra vetustate effracta, & contrita est arx illa, in quam irruentes schismatum hæreseonque duces arietarunt; at incassum eo quia totum munimentum in capitis unitate positum omnes viderunt.

Quousque ergo ad vivum resecabimus, strictumque ad sensum exigemus, quæ caritatis fervor, quæ Christianæ humilitatis amor, quæ concordiæ zelus, studium modestiæ, tranquillitatis ordo, vel in dictis, vel in factis SS. illorum Pontificum expressere? Sed hæc in ipso hujus argumenti exordio præoccupavimus. Tædet addere plura.

Urget Theologus noster depositionis pœnam in Anastasium Cardinal. inflictam ex Rom. Concilii sententia: *In Synodo Anastasius Presbyter Cardin. ab omnibus Canonice est depositus*. Subdit: *Mira vis in illis verbis sentitur. Ab omnibus canonice est depositus, perinde ac si Ca-*

 no-

nonicum non foret, quod non ab omnibus esset decretum. Urget & Rom. Synodum sub Hilaro Papa de transferendo Hispano Episcopo &c. *Huic interfuere Presbyteri*. Addit: *Nec vero præsentia sola, sed & consilio ac suffragio adfuisse certo certius constat, cum Apostolicum thronum regere modo a Felice acceperimus*.

4. Ita ne? Adeo placuit thronus ille, ut attexuerit acclamationes ac plausus tam frequenter in sequioris ævi conciliis usurpatos, invocetque alias Rom. Synodos, in quibus sedent Presbyteri, subscribuntque, quæ judicandi indicant prærogativam.

Hem quo res adducta est! Ergo non fuisset Canonicum, quod contra Anastasium Cardin. gestum est, nisi esset ab omnibus decretum? Scilicet Leo IV. non poterat solitarius Anastasium deponere? Permittat Synodo judicium de Anastasio Pontifex; omnes in Synodo Anastasium depositione mulctandum clament; Anastasius reipsa Canonice ab omnibus deponatur; quis est depositionis auctor, nisi qui Synodo cognoscendi & sententiam ferendi fecerit potestatem?

Finge plures in Synodo comparatos Anastasio fautores, crimina mendaci testium assertione levata & elusa; accusatores prævaricatos (habes hæc omnia in pluribus Conventiculis Satanicis) Anastasium absolutum. Erat ne penes Pontificem iniquam sententiam sententia nova & æqua elidere? Vides ex Pontificis delegatione Synodi auctoritatem stare, & mutuati luminis splendore Synodalem lucem effulgere; atqui cetera cuncta, quæ irrito labore ex aliis Rom. Synodis depromta sunt, eandem canunt cantilenam.

Ergo

Ergo ſedent, ſubſcribuntque Presbyteri Pontificibus volentibus & jubentibus; non ipſi ſe intrudunt, ſed juſſi obediunt. Quapropter ego ſponſione facta, quin & juratus confirmo Theologum meum ſerio hæc recogitantem revocaturum quæcumque in hanc ſententiam ſcripſit. Nam ſunt illa a ratione, & Eccleſiæ ſenſu adeo abſona, ut cum illum diligam, doleam ſic aberrantem videre, & innoxium ceteroquin ac nolentem, quod initio monui, tanto ſtudio cauſam agere Janſeniſtarum. Sed redeo ad rem, & in dictorum confirmationem placet addere.

Quod hæc judicialium quæſtionum, ſive ut barbare dicunt, *proceſſuum* natura poſtulat; accuſatores audiuntur; teſtes rogantur; agitantur cauſæ. Quis autem Regum, Principumve, qui gladium portant, hæc judicialia jura in cujuslibet nocentis cauſa ſibi duceret negligere? eo magis hac judices, quibus jus dicere demandatum, ſervant hunc ordinem judiciarium. Sed dicimus: Rex ſontem morti addixit.

Aſt cum multæ primis tribus Eccleſiæ ſæculis hæreſes ſint damnatæ nullis habitis Synodis (neque enim ſævientibus in Eccleſiam tyrannis ullus Prælatorum conventibus locus) dicendum omnino videtur Presbyterorum opera errorum illa monſtra exterminata; a Presbyteris fidei regulas conditas, atque judiciariam poteſtatem in hæreticos exercitam; iiſdemque Romanos Pontifices, atque Epiſcopos in hæreticorum condemnatione miniſtris, & ſociis uſos, agnoſcentes eos virtute Presbyteralis gradus tanta poteſtate poſſe pollere.

Ut autem radicitus hic evellatur ſcrupulus, & omnis

omnis dubitandi amputetur ratio, attendas velim ſæpenumero Presbyterorum, imo & Epiſcoporum ipſorum frequentiſſimos Conventus fas omne abrupiſſe, & impie pronunciaſſe. Horremus in hiſtoria injuſtiſſimas, & iteratas magni Athanaſii damnationes, & depoſitiones, Nicænæ fidei abolitionem, & præclariſſimos Eccleſiæ Doctores ejectos in exilium, egeſtate preſſos, quin & pugnis, & calcibus male mulctatos. Cuinam latet quid in Epheſino latrocinio ſit attentatum? Et hæc quidem, cum de impiis agitur, nos non commovent. At frigido ſudore mademus, dum occurrit animo, inſcrutabili Dei judicio, ipſis SS.Eccleſiæ Prælatis, iiſque in unum congregatis ſæpius non affulſiſſe lumen veritatis, ac tanquam vertigine circumactos de gradu ſanæ mentis excidiſſe, atque erraſſe in via veluti multo vino depoſitos. Teſtis Cyprianus cum tribus illis frequentiſſimis Africanis Conciliis.

Eccleſiæ in nomine ſuo congregatæ ἀσφαλτίαν ſeu infallibilitatem Chriſtus promiſit, ipſamque Eccleſiam fidei centrum in Rom.Cathedra ſemper agnoſcendam Patres teſtantur. *Ad hanc omnes alias convenire Eccleſias, ſcilicet ut verum inveniant*, dixit Irenæus. Hinc vetuſto Canone ſtatutum ait Socrates nullum ſine conſenſu Rom.Pontificis Concilium poſſe haberi. Eccleſiam autem eſſe gregem Paſtori ſuo coadunatum Cyprianus teſtatur. Hinc ſicut ab radice ſuccus in ramos & truncum diffluit, & ab Sole radii circum diffunduntur, & ab fonte rivis alimenta præbentur, ita teſtibus omnium ſæculorum Scriptoribus vis & virtus Eccleſiæ a Petro, ejuſque Succeſſoribus (Domino ſic diſponente) in ceterarum Eccleſiarum

rum

rum omnium membra diffluit atque promanat? Ipſam porro Eccleſiam viduatam ſummo Pontifice ea tantum aggredi poſſe, quæ præſens expoſcit neceſſitas, in iiſque memorato infallibilitatis privilegio gaudere affirmant Noſtri.

Scio Gallorum Theologorum aliam eſſe mentem. Verum non eſt hujus loci de hoc diſputare. Illud tantum ſciſcitarer ab ipſis, unde factum ſit, ut 400. Epiſcoporum Concilium erraverit, cum oſtendi contra ea nunquam poſſit paucorum Epiſcoporum conventus ſummo Pontifice præſidente a veritate alienum quid ſtatuiſſe. Imo ſcimus horum deciſionibus Eccleſiam adhæſiſſe, quin ullus fuerit errandi metus, ubi ſummi Hierarchæ auctoritas interfuit, atque hæc communis perſuaſio tenuit.

Hæc propterea paulo fuſius diſputavimus ut deſineret tandem Noſter ſeſſiones, & ſubſcriptiones illas Presbyterorum jactare; precarias illas, & a Delegatione profectas agnoſcat, cum nullum illis in fidei cauſis judicium, auctoritatem nullam ineſſe perpetuo crediderit Eccleſia, quæ hanc Provinciam ſummo Hierarchæ, & Epiſcopis divinitus traditam ſemper recognovit.

Hic ex orbita nos recedere, & noſtra deſtruere clamabit Theologus, quippe qui ineptiſſime ab infallibilitate jus judicandi, & ſtatuendi arceſſere viſi ſumus, cum dubium non ſit Epiſcopos in fidei cauſis Judices eſſe, & certum ſit eos poſſe errare. Quorſum, inquiet, iſta tam longe petita? Presbyteri poſſunt errare, ergo non poſſunt judicare?

Sed nunquam ſic ratiocinati ſumus, cum a juriſdictione, a Divino Mandato, ab Epiſcopali Cha-

Charactere prærogativam illam judicandi, & statuendi dixerimus proficisci, atque Episcopos singulares, immo, & in particulari vel nationali Concilio congregatos (cum totam Ecclesiam non repræsentent) in suis judiciis falli posse fateamur. Ineptissime vero dicetur Eum solum posse judicare, qui nequeat errare. Sed dicimus quam fiduciam in illis sedentibus, & subscribentibus Presbyteris collocare potuissent summi Pontifices? Dum ergo eos adhibuerunt, sollemnitati sententiæ voluerunt consultum, ne scilicet impii in his Conventibus damnati quererentur se non auditos; causam suam non esse actam; furori, iracundiæ, odio Pontificis depositionem suam ferendam acceptam.

Quid si Episcopi ipsi sua majoris momenti decreta, scilicet quæ de fidei aliquo articulo agebant, nec rata, nec firma credebant, nisi Pontificis consensus accederet? Hinc Synodalia Acta Romam pro confirmatione mittebant, tunc demum executioni danda credentes, cum fuissent illa Pontifici probata.

5. Ast Cleri Romani vigore commovetur Noster ob factum Eugenii I. quem dictus Clerus non est passus prius Sacra facere, quam polliceretur sese Epistolam Petri Patriarchæ CP. plane rejecturum. Rem narrat Anastasius Bibliot. & Noster subdit: *Videsis in hocce Presbyterio Paulum quodammodo in Cephæ faciem resistentem.*

Verum Anastasius dicit: *Et accensus Populus, & Clerus &c.* Videmus igitur hoc in facto non solum Paulum, sed & popellum in faciem Cephæ resistentem. Narratio vero nimis probat, & doleo Nostrum sic exultare, ubi de PP. & Episcoporum

rum

rum dignitate aliquid non nimium digni occurrit. Ecce in popello jam Paulum nobis exhibuit, & resistentem cui autem? Ineptum jocum. Sed sit fides narrationi Anastasii; zelum Cleri ac Populi studium commendamus. Timuerunt enim, ne Eugenius Monothelitarum insidiis circumventus de suorum Decessorum firma constantia remitteret; hinc vi pene illata adversus Pontificem depugnarunt.

Sed quid inde pro assertis Presbyterorum juribus? Monothelitæ causa ceciderant; anathemate in illos animadverterant Eugenii Prædecessores. Rumor erumpit Eugenium recepturum (communionis hoc signum erat) Epistolam hæretici illius Patriarchæ. At eo repente tumultus Cleri & Populi, qui clamant, vociferantur, fremunt se non passuros illum Sacra facturum (secessionis ab ipso hæc erat significatio) nisi Epistolam rejiciat. At hic quantum emicuit, & Cleri, & Populi Christiani pro re Catholica sarta tectaque tuenda sedulitas, tantum apparet quoque imbecillitas facti, si ad rem Theologi nostri detorqueatur.

§.XXII.

§. XXII.

SUMMARIUM.

1. *Turonensis Synodi insaniam perperam invocat Theologus noster.*
2. *Parisiensis IV. imbecillitas.*
3. *De Concilio Vernensi. Demonstratur hoc ad rem nostram facere, & ex hoc amplius patere, quomodo Oecumenica Concilia Presbyteros admiserint.*
4. *De Presbyteris in partes Episcopi absentis vel mortui vocatis.*

A pag. 72. ad 77.

1. ME tædet in his amplius immorari. An persequar Theologum nostrum errantem inter Synodos Gallicanas, Hispanicasque. Subirarscor ipsi; etenim præfatus erat pag. *69.* se veluti coronidis loco velle nonnulla ex Ecclesia Principe monumenta producere. Quis illic non affirmasset juratus scena illa acta fabulæ finem impositum iri? At ecce Noster, fortasse ut verum in se faciat, quod scriptum est: *Cum consummaverit homo, tunc incipiet*, tanquam nihil hactenus dictum esset, ab integro exorditur.

Ait opportune sibi succurrere Turonense Conc. medio fere sæculo VI. *Ubi arctis limitibus Episcopi circumscribitur potestas, cum nihil sine Presbyterio huic moliri permittatur, nihil attentare, ac si quid minus recte gestum fuerit, communi Presbyterorum sententia rescindi.*

O præclarum Concilium, quod plura & majora

optatis

optatis affert! Ejuret Noster, quæ hactenus est professus, nec Presbyteralem potestatem Episcopali, ut sæpius dixit, potestati faciat amplius obnoxiam. An non est manifestissimum subjectionis argumentum, si quæ geruntur, alieni ex nutu arbitrii firmitatem nanciscantur? Hoc non essent ausi ipsi Presbyteriani; namque de æqualitate cum Episcopis hi contendebant, sed nunquam se illis majores dixerant.

Quam indignum audire hic Nostrum exultantem exclamare: *Nonne vides hic aggeribus quibusdam Episcopale arbitrium circumsepiri &c.* Proh Synodum totam aversam, & adversam impudentem hos animos Theologo facere!

Affert ex eodem Canonem 2. decernentem: *Ut si quid quæstionis aut jurgii inter ipsos Episcopos forte exoriatur, electis ex parte utraque Presbyteris conciliatoribus consopiatur.*

Hoc non improbamus. Factitatum est sæpius, cum magnorum virorum ultro se ingessit copia, licet nulla illi Ecclesiastica dignitate commendarentur. At quid ex hoc? An Franciscanis Fratribus aliquid juris, dicemus quæsitum, quia Cardinales mortuo Clemente IV. cum ad 33. menses vacatio Sedis esset protracta, Bonaventuræ magno quidem Doctori, sed ex Franciscana Familia simplici Presbytero Pontificis electionem permiserunt, cum facultate seipsum, si vellet, nominandi? Hoc quid majus de homine possit afferri non video, nec tamen quæsitum ullum jus Franciscanæ familiæ.

2. Operam abutimur, si de Synodo Parisiensi IV. verba faciemus, cui interfuit unus Presbyter suffragiunm ferens. Unus Presbyter? Fortasse ex pri-

vilegio, vel ut testis. Item superfluum est de Synodo S. Aunucharii disputare, cum pateat illam Diœcesanam fuisse. Addit præterea Noster, *Presbyteris judicantibus Episcoporum ipsorum negotia definita reperiuntur*. Probat id exemplo Sapharici Episcopi Parisini, cujus causa composita fuit Ss. Episcopis Medorecho.... Hiculpho Presbytero, Æterno Archidiacono, ac Castricio Diacono: At vox illa *Composita*, vox non judicantium, sed amice arbitrantium est. Quis scit, an Episcopus ipse in tales arbitros consenserat? Aut ipse elegerat?

3. Quod autem Vernense Concilium jusserit ad Synodum una cum Episcopis Abbates, ac Presbyteros convenire, non miramur; opus enim his habet Concilium vel ad disputandum, vel ad facta contestanda (semper næniam eandem occentare cogimur) maxime cum hæ Synodi haberentur ad discutiendas excommunicationes latas, & ad recipiendas querelas eorum, qui injuste vim se passos quiritabant. Quæ negotia quis non videt quanta multitudine convocanda sint expedienda?

Idem dicas de Bracarensi I. Et Toletanum IV. quod affertur, mirifice nos ab impetitis absolvit; dum enim statuit, *ut vocentur Presbyteri, quos causa probaverit introire*, jam perspicuum est selectis tantum Presbyteris ad Synodos accessum patuisse. Si enim omnibus Presbyteris eo confluere fuisset potestas, quo jure ad hanc constitutionem fuisset deventum? Dispeream, nisi in hunc sensum res accipienda sit, cum in Conciliis Presbyteros videmus sedentes ac subscribentes, itaut semper ratum sit, quod ad ravim usque ingeminavimus, illos scilicet ab Episcopis adductos

ctos Presbyteros, quorum opus esset sive in testificando, sive in disputando; de quo satis, & ad nauseam usque meminimus.

Hinc silentio prætereundum omnino, quod subjicit noster de Conciliis ipsis Oecumenicis, ad quæ Presbyteros legimus admissos. Admiraremur Doctissimi nostri candorem, si in hac honestissima Presbyterorum mentione in Conciliis Oecumenicis omisisset illa duo verba *Subscribere*, & *Sententiam* dicere; quæ tamen in ejus gratiam nos benigne interpretamur, ut subscriptio sit testificationis; sententia doctrinæ.

4. Quis dixerit Prælato moriente Ecclesiam mori? Vivit illa in suis Presbyteris, qui demortui in partes, & munera strenue veniunt. An otiosos ministros, & fruges consumere natos sibi illa adlegit? An unius in Episcopi anima positas omnes spes suas illa habet, adeout periclitante illo periclitetur & ipsa? An magni nominis umbra Presbyteratus? At idipsum absente Episcopo, dum fieri contendit Noster, & ad hoc nobis probandum affert Cyprianum scribentem ad Presbyteros, & Diaconos suos, nec non & Hilarium in libello, quem Constantio obtulit, non videt ibi rem ex Delegatione procedere: *Officium meum vestra diligentia præsentet.... Vos vice mea fungamini*. Sic Cypr. a quo nec hilum quid discrepat Hilarii libellus.

Utroque pollice favemus Nostro egregie disputanti de dotibus & qualitatibus (ut Canones loquuntur) eorum, qui sunt in Presbyterium cooptandi, & Seminarium Episcoporum dici potuisse vetus Presbyterium fatemur, & molestas, quæ ultro se ingerunt, considerationes fortiter repel-

pellimus, & laudamus impense Canonem, quo Theologus noster hanc I. Partem absolvit *Episcopum in Presbyteri gradum deducere sacrilegium est*; at videat pientissimus Auctor, nequid ex tanta labe, præter & contra mentem suam, egregiis ceteroquin chartis suis leviter adspergatur.

Hactenus, dicam cum Ovidio, sic *pugnavi, ut vincere nollem, Armabam sciens temerarias in mea damna manus, & gladium ipse in mea viscera adigebam*. Quicquid enim vetustis illis Presbyteris detrahebam, id mihi detractum videbam. Nam si veritati aliquis locus, quinam propiores censendi vetustis illis Presbyteris, nisi Parochi? Hoc voce magistra, & triumphali Theologus noster firmissime confirmat, ut videbimus in seqq. Et nescio quo maligno dicendi contra urgente Spiritu sibi in eadem pagina totus contrarius ad Canonicos animarum cura, ut ipse loquitur, spoliatos deflexerit; quo factum est, ut consolationem, quam uberrimam ex ejus Libro capiebamus, in luctum atque atrum mœrorem converterit.

IN HAC

SECUNDA PARTE

OPERIS SUI THEOLOGUS NOSTER SUSCIPIT DEMONSTRANDUM

JURA PRESBYTERII IN COLLEGIA CANONICORUM FUISSE TRANSFUSA.

§. I.

1. *Theologus noster jacit fundamenta Parochialis Dignitatis.*
2. *Solo nomine a nobis discrepat.*
3. *Omnia, quæ colligit, in Parochorum dignitatem incumbunt.*
4. *Pauca quædam de dignitate Parochorum.*

A pag. 78. ad 86.

1. MAnet in sententia Clarissimus Theologus noster, & bonam, quam ab initio pro Parochis induit mentem, non exuit, imo vehementius confirmat in hujus Secundæ Partis exordio. Nam fatetur pag. 78. *Presbyteros illos* (pro quibus, & contra quos hactenus est pugnatum) *Parochorum partes ad unum omnes explesse, sive in eadem cum Episcopo Ecclesia, sive in diversis Parœciis, ubi essent illæ a Cathedrali divulsæ.* Mox cum multa scitu digna mira dexteritate, &

elegantia attulisset de Diaconis, item de Titulis, quibus Presbyteri, sive Diaconi veluti quidam cardines erant affixi, subdit: *Hi porro Presbyteri sive Cathedrali, sive Titulis affixi, ac veluti Cardinati una cum Regionariis Diaconis unum cum Episcopo conflabant Presbyterium illud, de quo tam multa huc usque deduximus.*

Stemus his, neque e via, in quam tutam, & vere regiam nos conjecimus, excidamus. Ergo puriori Ecclesiæ disciplina vigente, cum neque adhuc divinas, & egregie ordinatas Ecclesiastici Regiminis semitas captiosa subvertisset ambitio; cum laboris & operis, sollicitudinum, & periculorum pro salute animarum plenissimum esset Presbyterale ministerium, nec ullus otio, & vanitati pateret accessus, si Presbyterii rem & nomen in illis Sacris Ministris agnoscimus, & veneramur, quorum eadem erant cum Episcopo consilia, curæ, & studia; jam satis apparet longe a memorato Presbyterio arcendos, nec in hujus unquam jura vocandos illos, quos dispar suæ vitæ instituta ratio jamdudum oneribus illis, & periculis subtraxit. Longe recentior Canonicorum institutio; quibus, dum hæc asserimus, nihil detractum volumus. Sint illi Angelicorum concentuum beati æmulatores; lætificent terrestris Hierusalem jugi canore mœnia: decus addant visibili Regno Christi; cave tamen illos Hierarchico huic Principatui accenseas; quibus nec est illud eximium concessum jus pascendi, nec divina juris dicundi in Sacris Tribunalibus facta potestas, nec datum munus exercendi quasdam sacras peculiares functiones. Hinc a connubialibus fœderibus,

quæ

quæ ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio Presbyteri illi tanquam Angeli aſſiſtentes cœleſti benedictione firmabant, omnis ipſis fuit interclusus acceſſus; in quibus tamen vidimus ſupra quantum natura sua Epiſcopalis eminuerit auctoritas. Mirabimur ergo illos, prædicabimuſque: aſt aliis nominibus, uti Capucinos, Recollectas, Dominicanos, & alios hujuſmodi, quos ſuſpicimus, arctiori vinculo, quam Canonicos noſtros divinæ Pſalmodiæ illigatos Regulari Profeſſione detineri.

Verum Theologus noſter jam incipit ſenſim a via deflectere pag. 81. dum memoratis illis Eccleſiæ Miniſtris vetus conflantibus Presbyterium Canonicorum nomen aptiſſime congruere arbitratur. Sed

Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſque repente refugit,

ſic ipſe ſtatim advertens Canonicos olim vocatos Clericos affixos agreſtibus Parœciis; item & Clericos ipſos minores clamat: *Non iſta nos notione Canonicorum vocabulum accipimus, cum veteris Presbyterii jura in Canonicorum Collegia transfuſa eſſe demonſtrandum ſuſcipimus.*

2. Ego tibi de nomine litem intentare nolo; voca Canonicos, voca Parochos, voca Hybridas, liceat per me. Tu jura Presbyterii ex arcta conjunctione, quam Presbyteri illi in Eccleſiæ Regimine cum Epiſcopo habebant, arceſſeras. Relinquamus nomen, rem teneamus. Dic age, qualis erat illa conjunctio? Num convivii, num car-

rus, num matutinæ, vel serotinæ deambulationis? Ego arbitrabar longissime hæc omnia ab Episcopis tunc exulasse. Aliam his injectam curam, aliud negotii datum opinabar. Verbi Divini prædicationem, Sacramentorum administrationem, exemplum bonorum operum, & alia sexcenta hujusmodi, operæ pretium ibi fecisse existimabam. Quod si mentior; si vanitatem loquor, corrige, & senem ut puerum, vel ad Aristarchi supercilium, vel ad Orbilii irati ferulam mitte. Interim ubicumque hæc, quæ memorata sunt, invenero, ibi me Presbyterium illud invenisse clamabo. Verum occasione Capituli Sipontini paulo infra tu ipse disertius hæc confirmabis.

Interim quid hic Barbarorum incursiones, armorum strepitus, bellorumque vastitatem commemoras? An defecerunt Miserationes Domini, & occidit illud Presbyterium? Nullo modo. Parce proinde improbo labori, quo Seminaria, semotasque ædes requiras, in quas adducti Clerici sub oculis Episcoporum, unaque cum ipsis ad communem degendam vitam adigebantur, uti pag. 82. Tyrones obtrudis, ubi a veteranis naviter res geritur? Sumus cum Magistris & Doctoribus Israel, vin' ut istis relictis Elementarios adeamus? Fuerit sapientissimum illud Consilium; res bene, an male cesserit; diu steterit, an in sui ortu ad occasum adproperaverit, nihil ad nos. Ego non is sum, qui majora viribus ausus, velim tecum ab Africa, & quidem IV. Sæculo quo vixit Augustinus, ad Gallias, & quidem VIII. Sæculo, quo Rongobertus floruit excurrere. Laudo quidem Pipinum, & Carolum M. qui in hac

parte

parte Pastorum incenso studio sunt velificati; abominor Monachos, quos abiecta severiori disciplina in molliorem Clericorum vitam quereris declinasse; probo duplicem Canonicorum, quam memoras, classem. Omnia nitide, docte, luculenter. Ast dic de *tribus capellis*, & ostende interim, ubi illi eximii, qui vetus conflabant Presbyterium.

3. Ego, ni fallor, invenio illos in Parochis. Video hos quovis tempore sive: *Cum belli signum Laurenti Turnus ab arce Extulit*, sive *cum Tityrus patulæ recubans sub tegmine fagi Formosam docuit resonare Amaryllida silvas*, iisdem curis ac illos distentos; in spem Israel iisdem catenis circumdatos; in idem pro Christo pistrinum compulsos. Cur cum familiæ herciscundæ quæstio movetur, hos repellis? Ubi de supremis Tabulis agitur, hos exhæredes scribis? Si ad hanc Classem revocas, eos Presbyteros, qui Cathedralibus Ecclesiis sub Episcopo serviebant, non repugno, dummodo eo, quo innui, modo servitium illi præstiterint.

Penitioris eruditionis scientissimus, & abstrusioris vetustatis scrutator egregius Theologus noster, dum diverticulum, ut ipse ait, instituit itineri ceteroquin, quod apparat, perutile, me quoque juvat (ne tantam rem omnino prætermissam nostri conquerantur) pauca de Parochorum dignitate præfari. Necessitate argumenti tractum, & tribus verbis ex aliorum placitis, ne nostra nimis extollere videar, rem me exequentem nullus, ut opinor, in crimen vocabit.

4. Non videbitur in Parochorum laudes, cum

veritatis dispendio nimis effusus Theodulphus Aurelian. Episcopus, dum primo post Episcopos loco Parochos esse disertissime affirmavit, si verum sit, ut in Apostolorum Episcopos, sic in 72. Discipulorum locum Parochos fuisse suffectos. Unde doctissimus Præsul in suo ad Parochos Capitulari sic monet: *Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum, & pene conjunctum esse. Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita Presbyteri ceterorum Discipulorum Domini vicem tenent. Et illi tenent gradum summi Pontificis Aaron, isti vero filiorum ejus.*

Parisienses etiam Theologi constantissime propugnarunt Parochos datos esse successores 72. Discipulis. Hinc in ordine minorum Prælatorum eos stare, & ab ipso immediate Christo eos obtinere potestatem functiones Hierarchicas exercendi, expiandi correctionibus, prædicationibus illuminandi, perficiendi denique Sacramentorum administratione. Doctrinæ hujus acerrimus extitit propugnator Gersonius, qui illius fundamenta ab ipsis repetit divinis, Evangelicisque literis, tum ex aliquorum PP. calculo vocantium hos nomine *Apostolorum*. Unde Origenes: *Septuaginta & ipsi Apostoli nominati sunt*. Et Chrysostomus: *Erant & alii Apostoli, ut septuaginta*.

Neque hanc singularem unius Gersonii sententiam suspiceris, vel paucis ejusdem Universitatis DD. probatam; nam tota Facultas Parisien. anno 1408. solemni censura perstrinxit Joa: Gorellium Franciscanum opposita propugnantem, ut proinde nemini dubium esse queat eam fuisse senten-

tiam

tiam Theologorum Sodalitii omnium toto orbe celeberrimi, ſtatum, & auctoritatem Parochorum jure fulciri divino, & ipſius Chriſti inſtitutione; eorum juriſdictionem immediate a Chriſto dimanare, qui tam immediata miſſione, quam electione ſua Diſcipulos 72. decoravit, miſſoſque participes voluit divinæ ſuæ juriſdictionis.

Neque ignotam Veteribus, novamque doctrinam a Facultate illa tanto ardore invectam opineris, cum Conciliorum Patrumque non paucorum eam conſtet fuiſſe ſententiam Parochos ita Diſcipulis, ut Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſiſſe. Neque diffitetur Theologus noſter, qui pag. 19. Bellarminum, ejuſque aſſeclas in alia omnia diſcedentes non molliter excipit.

Hæc mihi ex aliorum placitis colligenti occurrit opportune Ilioneus apud Poetarum Principem Æneid. I.

Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas;
Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.

Quamvis enim certiſſimum ſit Diſcipulos tota ſacra poteſtate Ordinis ſui a Chriſto inſtructos, & ad prædicandum miſſos fuiſſe, non tamen perſpicue demonſtrari poteſt, & adminiſtrationem Sacramentorum, & Clavium poteſtatem eis a Chriſto immediate traditam fuiſſe, quam prædicandi provinciam. Evidentiſſime textus ipſe Evangelicus edocet non eſſe delegatam a Chriſto ipſo poteſtatem clavium, niſi Petro, & Apoſtolis. Ab his ergo, & miſſi, & neceſſariis mandatis inſtructi poſtea fuere Diſcipuli, quo magis huc illucque per

orbem sparsi Ecclesias fundarent, gubernarentque. Hinc secundas aures darem temperamento Petri Aureoli, de quo pluribus hîc Thomassinus.

Summa est: Parochorum officium divinæ in tantum originis, & institutionis esse, in quantum in Episcopatu includitur, ut in fonte, & plenitudine Sacerdotii, ex qua manant Parochi, ut a fonte rivuli, cujus decursus latissime, & sine detrimento sui effunditur. Non aliter quam Spiritus S. exuberavit plenitudo in 70. Seniores, quos in subsidium Moysi Deus adoptabat, nihil damni patiente Moyse, ex quo tanta Spiritus copia in alios dispensabatur: *Ut scaturiginis autem, & rivulorum eadem natura est, ita eadem Episcoporum auctoritas est, & Parochorum, divinaque prorsus, quia ipsamet eadem est, quæ Christi.* Hæc Aureoli verba sunt, quæ Catholico sensu accipi debent, ne inde Presbyterianis ansa errores suos confirmandi præbeatur.

In hujus sententiæ, ex qua tantum splendoris Parochorum muneri emergit, confirmationem adducit Aureolus S. Thomam, qui III. Par. Quæ. *67.* Ar. 2. eos reveretur, ut secundi ordinis principes Ecclesiæ, utque suffectos 72. illis Discipulis, quos Christus eadem, qua Apostolos, & missione, & jurisdictione illustravit. Pulcherrima sunt, quæ pro Parochorum dignitate possunt ex antiquis Conciliis arcessiri. Carthagin: illud IV. de quo supra, agnoscit in Parochis potestatem Psalmistas, & Cantores creandi. Conc. Emeritense anno *666.* id juris Parochis concessit, ut numerum Clericorum Ecclesiæ suæ augerent pro ejus necessitate, & reditibus.

Quid

Quid si Augustino, & Hieron. testibus poterant Parochi fideles excommunicatione mulctare? Dubitas? At ecce verba Hieronymi epist. ad Hedib. *Mihi ante Presbyterum sedere non licet, illi, si peccavero, licet tradere me Satanæ in interitum Carnis, ut Spiritus salvus sit.* Et Augustinus epist.295. meminit Presbyteri, qui Diaconum, & Subdiaconum excommunicaverat; quibus relatis præclare subdit hic Thomassin.: *Parochus sine dubio fuit, qui ea severitate usus est.* Hæc ille, & sapienter; quoniam vigent adhuc in corpore novi juris Canonici luculentissimæ decretales, quibus dicta potestas Parochis adseritur. Vide Cap. HIS QUI Major. & Obed. & Cap. CUM AB ECCLESIARUM Offic. jud. Ordin. Interpretes ajentes non alio nomine, nisi ex Delegatione Parochos contentiosam illam potestatem habuisse, refutat Thomassin. memorabile illud addens: *Quod quam facile est divinare, tam pronum est quæ quis divinando dixerit, repellere.* Et celeberrimus Alteserra multis argumentis demonstrat Parochos olim potuisse, & nunc etiam posse in Parochianos suos excommunicationis sententiam ferre.

Verum hæc ipse non moror; sive enim Episcoporum oscitantia, & sagacitate Parochorum fuerint invecta, sive privilegio, aut tacita illorum concessione comparata, nihil ad rem. Fateor enim multa interdum concessa, eademque inde Parochis denegata ex variis Conciliorum placitis, ex quibus modo ampliorem, angustiorem modo cernimus Parochorum provinciam. Est unum tamen, quod nulli obnoxium vicissitudini, nulla tem-

temporum, vel locorum diversitate labefactandum egregium in Parochis mireris privilegium, quod supra omnem celsitudinem illorum extollit fastigium, sublimitatemque commendat: jus scilicet pascendi.

Bis in novo Testamento præceptum pascendi datum legimus, primo cum Christus Petro dixit: *Pasce Agnos meos, pasce oves meas* Jo. XXI. Rursus cum ipse Petrus (& vide quantum apposite; in cujus enim ore vox illa sonare debuit, nisi in ipsius Summi Divini Pastoris primum, deinde in labiis illius Vicarii) *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* Pet. I. Cap. V. Inter omnes secundi Ordinis Sacerdotes Parochis solis jus pascendi collatum est, & soli illi ubique audiunt Pastores; immo (credideris?) Tridentinum, cum de Episcopis & Parochis ageret Sess. XXV. ambos uno Pastorum nomine sacravit; quod unum sufficiat; ac pigeat scire quicquid aliud pro tanti gradus dignitate monstranda DD. collegerint; unum tamen non tacebo, nempe:

Si Ignatius Mart. ubi supra in Persona Episcoporum præcipit, ut illi Christum ipsum mihi repræsentent, equidem, dum video Episcopum ad Parochiale munus Presbyterum evehentem, jam Christum ipsum videre mihi videor huic dicentem: *Pasce Agnos meos*. Quis ignorat quanta in illo verbo vis, quanta dignitatis amplitudo includatur? Etenim non Conciliis, non Patribus, non Doctoribus id feremus acceptum; e plenitudine potestatis a Christo Ecclesiæ suæ communicatæ hic plenissimus diffluit rivus. Enimvero quemadmodum Apostolis Christus potestatem plenissimam

tri-

tribuit ea constituendi, quæ ad novi Spiritualis Regni ædificationem facerent, essentque perpetuo duratura (quo nomine nunquam dicemus Diaconatum humanum esse inventum, quamvis post Christi Ascensionem Diaconos inauguraverint Apostoli; speciale enim de hoc mandatum a Christo traditum suo tempore executioni dandum illos accepisse dicimus:) sic non abs re erit affirmare Summos Pontifices eodem Spiritu Dei (qui Ecclesiam nunquam deserit) agente, Parochias erexisse, Sacrosque ibi collocasse Rectores, quibus amplissimæ illius suæ potestatis particula attribueretur, ut illi creditas sibi oves pascerent, immarcescibilem gloriæ coronam a Pastorum Principe percepturi.

Credebam his, quæ hactenus adduxi, nihil excelsius posse afferri; verum tamen a præstantissimis Theologis arguor veluti demisse sentiens de sublimi Parochorum gradu. Hi videlicet non Evaristo, non Fabiano (quos non instituisse, sed restituisse dicunt Parochias persecutionibus disjectas) sed ipsis Apostolis rem ferunt acceptam, idque Paulum sibi voluisse, dum Timotheum hortatus est Presbyteros constituere, hoc est Parochos. Jam quid hoc excelsius poterit afferri?

At imperitum vulgus, cum ista non capiat, neque sapiat, ad illa Canonicalia ornamenta, quæ Cappam, & Rocchetum dicimus, mirabundum intendit oculos, ita ut negligat, aut parvi faciat suum Parochum, confirmeturque in stulta sententia, cum ipsum suum Parochum (pro nefas!) Canonicatui cernit inhiare, & suæ degradationi (talis est transitus ille) libentissime assentiri: non

sic

sic justus æstimator Theologus noster: ingemit, doletque animi discruciatus ob divulsam a Canonicatibus Animarum curam, eamque sapientissimus Vir semper ob oculos in tota sua hac lucubratione videtur habere.

§. II.

SUMMARIUM.

1. *A recta, in quam se dederat, via incipit deflectere Theologus noster.*
2. *Dignitas Capitulorum, quibus Animarum cura adnexa est.*
3. *Injustissimam causam suscipit propugnandam Theologus noster.*
4. *Nonnulla hanc in rem.*

A pag. 78. ad 86.

1. DEfessati sumus in viis, in quas multiplices difficilesque egregius celeripes Theologus noster nos conjecit. Peragravimus ipso duce Africam, Gallias, Germaniam; Monachos in suis cellulis latitantes invisimus, sollicitavimus, inquietavimus, eosdem molliorem ad cultum deflexos, perque sæcularium cœtus vagantes acerrime persecuti sumus. Multorum mores, multas & vidimus urbes; sinat hîc nos subsistere, neque novam nobis indicat peregrinationem: ab hac non mediocriter metuo: ait enim *differendum de utroque tempore* (pag. 86.) *&* *invalescentis scilicet, & distractæ communionis.*

Re-

Regreditur ad antecessum, notatque discrimen inter vetus, novumque Presbyterium. Præmiserat paulo ante: *in hosce Canonicos de novo procusos veteris Presbyterii jura omnia esse transfusa, hæc ita depicta Canonicorum Collegia, sive Capitula ait Thomassin. Par.I. Lib.III. Cap.9. illum ipsum vetustissimum Clerum censendum est non repræsentare modo, sed esse Episcopi Senatum, & Concilium, Episcopis suis sociatis, & communis vitæ novo tunc devinctiorem, nec ob solutam modo communionem minus cohærescens, nec pristinis unquam decurtatum prærogativis.*

Perbelle! Juste! ratione scilicet volente, æquitate suadente Canonici de novo procusi veniunt in jura veterum Presbyterorum: & de veteribus quid? Exauctoravit illos Thomassinus fortasse clamans: *Veteres migrate Coloni.* Provocamus ab hac Thomassini sententia: nec indigne feret ipse doctissimus Noster; immo animos addit singularibus illis verbis, pag. 87. *Post sæculum XII. Beneficia ab ordine distrahi cœpta, item pessimo omine in Ecclesiam inducta distinctio Beneficiorum, ut alia curæ forent obnoxia, alia ab hujuscemodi onere libera. Factum est hinc inter alia gravissima incommoda, ut Ecclesiastici cœtus viri in ea potissimum oculos animosque intenderent Beneficia, quæ simplicia appellant, otii, turpisque desidiæ fomenta.*

Quid audivimus? Fomites ergo otii, turpisque desidiæ simplicia Beneficia? Et non sunt hujusmodi Canonicatus? Hi Canonicatus invadent in jura Presbyterii, & Episcopalis administrationis consortia usurpabunt, & distracti, & divulsi suas non

sen-

ſentient decurtatas prærogativas? Obſtupeſcimus tantarum miraculis rerum; nec cernimus, quomodo hæc ſtare queant cum his, quæ attexuit Theologus noſter pag. 88. ex aurea Congregationis Concilii reſponſione in cauſa Sipontini Capili, in quo S. C. *nihil immutandum cenſuit in ea diſciplina, quæ tantopere antiquis moribus conſentiret, cum Parochi eccleſiarum variarum iidem ipſi eſſent, & eccleſiæ majoris Canonici, ac conſiliarii Epiſcoporum, quod ex ſacro Cardinalium Collegio manifeſtiſſime apparet.*

2. Felix Sipontinum Capitulum, in quo vere vetuſti Presbyterii jura deprehendo: Quæ enim Capitula vel ſine animarum cura ab initio ſunt exorta, vel illa ſe levari paſſa sunt, quid aliud nobis modo exhibent, niſi miſeros cantores, quibus id unum negotii ſit datum, ut Choro adſint, & publico horarum penſo satisfaciant? Nullam de his, dum ſunt collegio adſcribendi, inquiſitionem agit Eccleſia; nullam ſollicitudinem habuit, nec ad eorum ſcientiam, aliasque quamplures, quas deſiderat dotes in illis, qui ad gradum aliquem in populorum ſalutem elevantur, attendit. Quod maniſeſtiſſimum indicium eſt, nullam eos regiminis partem capeſſere.

Neque hîc ad precarias, & eblanditas honoris oſtentationes, vel ſi dicere libet, jura gratuitis, & arbitrariis Epiſcoporum ipſorum placitis, nunc conceſſa, nunc denegata, & ad nutum ſtantia, vel cadentia animum velim adjicias; etenim non hîc de his quærimus, neque obſtrepentem popellum hîc moramur, qui dum Canonicos in sacris Tribunalibus ſedentes conſpicit, dum triſtem

cen-

censuram in eos, qui Clero sunt adlegendi, vel majoribus ordinibus initiandi, videt exercentes; factos probitatis, & scientiæ eorum subtilissimos pensitatores, judices severissimos, vel quod magis commovet, hæc eadem in eos, qui ad Parochialis gradus celsitudinem sunt evehendi, arripientes, nescio quid magnum, & sublime opinatur in Canonicatu contineri. Obstupescit etiam aspectu annuli, mitræ, aliorumque hujusmodi; quæ ornamenta, ut sunt egregia venerandæ Episcopalis dignitatis insignia apta ad debitum honorem celso illi gradui conciliandum, sic in Canonicis visa sunt pientissimis quibusdam viris redolere nescio quid ingrati, & a vanitate potius, quam pietate proficisci. Quæ quidem omnia cum in Parochis non offendat, nil mirum, si apud ipsum videatur sicut Canonicis splendor accrescere, sic Parochorum decrescere auctoritas. Verum non ex dolosa hac statera, neque ex his libripendibus res, de qua agitur, est expendenda.

Attamen non hæc ignota Theologo nostro tam digne, tam vere, tam sublime de Animarum cura sentienti. Video nihil optatius ipsi posse contingere, quam si Canonicatus essent præclara illa gemma, scilicet Animarum cura decori.

At (malum) quæ tam crudelis Erinnys consilium repente Doctissimo nostro eripuit? Cur totus subito mutatus ab illo, quem vidimus, subdit: *Nihilominus tamen ut ut Canonici illo Animarum curandarum onere peculiari levati fuerint, adhuc tamen Paræciarum totius Diœceseos eminenti quadam, ac generali sollicitudine, ac regimine, eo nimirum, quo Episcopus ipse tenetur,*

tur, una cum eo ex vi sui ministerii obstricti, devinctique sunt.

3. O atrocem sententiam! Ego quidem totus hac audita cohorrui. At lepidi homines facete id totum excipient. Sed quid tandem hîc absoni, inquient, quid incommodi deprehendis? Præfectus Campaniæ criminum vindex forense ministerium, satellites, lictorem quoque, & spiculatorem ad coërcendos improbos assumit: horum opera in persequendis reis, pœnisque infligendis utitur: generali sollicitudine, ne quid tota Campania turbetur, una cum illo hi tenentur: dentur, si placet, ædem partes modo, quem Ecclesiasticum regimen recipit, Canonicis: nihil tamen hi in hoc sibi vindicent jure suo. Si quid vero velis dare, accenseas potius precariis concessionibus.

Sed ego, quem hæc cura sollicitum habet, lepidis illis viris dimissis, doleo Episcoporum vicem, si horum res sic (quoad Canonicos) se habent: Ergo ne Canonici *Parœciarum totius Diœceseos eminenti quadam, ac generali sollicitudine, ac regimine una cum Episcopo ex vi sui ministerii obstricti sunt?* Quot ergo in una Civitate Episcopos habebimus? Quinam Canonici illi, quibus tanta credentur? *Generalis sollicitudo? Regimen Parochiarum totius Diœceseos? Idque ex vi sui ministerii?*

4. Sed, Canonici vos, qui tandem? Vobis ne Animarum regimen? Quid hoc nisi novam facere Ecclesiam, & humanam, quod vehementer damnat Cyprianus relatus Caus. VII. Quæst. I. 106. NOVATIANUS *Episcopus non est, qui .., humanam cona-*

conatur Ecclesiam facere, & per plurimas civitates novos Apostolos suos mittit, cumque jampridem per omnes Provincias ordinati sint Episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, Ille super eos creare alios pseudoepiscopos audet.

Olfacio hîc nescio quid conterminum impudenti huic postulationi. Etenim qua probitatis tessera, quibus necessariis doctrinæ symbolis in Animarum totius Diœcesis regimen invaditis? *Ergo ne eo regiminis munere, quo Episcopus ipse tenetur, vos tenemini?* At nos non adeo improbi, qui Canonicarum pensum horarum negligimus, imo devote persolvimus. Occurrit autem ibi sæpius Homilia, in qua edocemur. *Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est Episcopis in expectatione, adventuque suo sollicitudinem mandat.* Qui sensus est? Nonne omnes nos curare debere, ut vigilantes, & parati inveniamur in adventu Domini? At Episcopi, quia Animarum cura gravati sunt, longe accuratius diligentiusque idipsum debent præstare; his enim specialem Dominus mandat sollicitudinem. Si *specialem*, nihil ergo hic cum Canonicis commune.

Imo in sollicitudinum plenissimum opus Parochos incumbentes, gestorumque omnium rationem pro modulo suo in adventu Domini reddituros quotquot in eorum Parochiis degunt Canonici suspiciant, ac revereantur, sintque eorum dicto audientes, monitaque per eosdem salutaria recipiant, habeantque pro comperto nullum ipsis super Parochos regimen datum, sed Parochos pro

vi sui ministerii, proque speciali sollicitudine, ac regimine eos sibi tenere subditos atque subjectos. Atque hæc est natura beneficii curati, cui jura illa, si quæ fuerint antiqui Presbyterii intrinsecus conjuncta, nullaque disciplinæ variatione mutanda, si sapimus, asserere atque adscribere debemus, ut proinde tanquam παραδόξοις exhorrescamus Theologi nostri placitis.

Hinc amabo te, quando Parochi suis juribus exciderunt? Aut quomodo Canonicatus Simplicia procul dubio Beneficia tam valido impetu in Beneficia Curata insurrexere, ut hæc illis fasces submittere, manusque dare coegerint, adeout non Pastores curam habeant Pastorum Domini? Nulla animarum cura insignes, & nullo Sacramentorum, quibus ut arctissimo vinculo Pastoribus suis Christianæ plebes colligantur, conferendorum jure præditi superbe se efferant in eos, quibus honorificentissimum illud Angelicis humeris formidandum onus Ecclesia ipsa imposuit, providentissima cautione, ac tot tantisque in scientiam, in mores, in ceteram agendi rationem inquisitionibus præmissis; quos veluti censores incorruptos ipsa secularia reverentur Tribunalia, ut Catonis ipsius fides labet, nisi Parochi suffragio confirmetur.

Ad hæc: si Sacerdotii dignitas in eo se maxime prodit, ut Ecclesiæ sacerdos filios generet, genitos lacte sanæ doctrinæ enutriat, adolescentes imbuat sanctis moribus, erigat lapsos, erectos piis hortamentis confirmet, ac tandem properantes iter æternitatis, ut feliciter capessant, Sanctissimo instruat Viatico, huncine hæc omnia pro suo munere præstantem Canonico subjicies?

Hoc

Hoc est eum, cui jura sunt integra adeo Parochialia, sive, (ut minus latine loquar) cui stat titulus Parochialis, ut muneris sui exercitatione ne per ipsum quidem Episcopum possit interdici, desidiæ castris, qualia sunt Canonicorum domicilia, suppones, & præjudicata sententia Canonico Parochum facies obnoxium, scilicet discipulo Magistrum, Pastorem ovi, egregio Imperatori (ut in hanc sententiam loqui solebat perditissimus & diris omnibus devovendus Voltaire) ineptum tyrunculum?

Longe alia tamen (quod in ipso initio monui, nec monere unquam desinam) ratio est Capitulorum, quibus est Animarum cura adnexa. Canonicos enim Animarum cura oneratos, duces sub Episcopo, & Pastores populorum, & Episcopi Senatum, et si quid amplius dici potest, dicimus, agnoscimus, compositissimis, & clarissimis literis opportune, importune scribimus, & prædicamus, & clarissimo Tractatori nostro quidlibet intra justi limites audenti pro illorum dignitate utroque pollice probamus.

Nonne enim hæc Animarum cura facit, ut sacerdos vere sit & populi Pastor, & Doctor, & organum brachiumque Episcopi vere nominetur? Quæ cum ita sint, nemo est, quin videat non posse Episcopum, cui cura est communis cum Parochis, iis nimirum Parochis, qui divino jure in partem sollicitudinis vocati sunt, & a quibus ovium salus petitur, quique in severissimo judicio postremo sunt de ovibus rationem reddituri, Episcopum inquam Parochos Canonicis subjicere, & ab his, quibus ignotum omnino, quid onus illud importet, consilia quoad Parochiarum regimina,

 po-

postulare, hisque dare tristem in Parochos censuram exercendam? Quid ita? Nonne seipse perquam tristi censura Episcopus constringeret? Et

Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumque, aut duri miles Ulyssis
Temperet a lacrimis?

Attamen hæc grato animo, & æquis auribus excipiuntur. Hinc inhient ambitiosi sacerdotes Canonicatibus, contra ea Parochias horreant, Parochosque diris devoveant. Perbelle res cadit scilicet... At non est difficile divinare a quonam hæc spiritu procedant. Sed horrenda illa propositio paulo infra latius discutietur.

§. III.

§. III.

SUMMARIUM.

1. *Inquiritur in illa Collegia, seu Capitula tempore communionis initæ, & distractæ, in quæ Theologus noster veteris Presbyterii jura contendit transfusa.*
2. *Quænam Cleri conjunctio cum Episcopo Presbyterium constituerit?*

A pag. 86. ad 90.

1. A Collegiis erectis, de quibus late hîc Theologus noster, Canonicorum dignitatem, & præeminentiam arcessit: *Tunc*, sunt ejus verba, *scilicet Episcopo potestatem factam, & quæsitam opportunitatem Clerum suum coadunandi, Senatum suum habendi, eosque in omnibus consulendi, quibuscum contubernii, vitæque indivulsa tenebatur consuetudine.*

O male ominatum cœptum, & expirantis ecclesiasticæ probitatis flebile adjutorium illa Seminariorum sensu, quo ea hîc accipitur, erectio! Faretur jam Noster bellorum incendiis, Barbarorum irruptione, litterarum ad exitium vergente studio, collabentis Cleri reliquias piorum Episcoporum opera in Seminaria fuisse conversas, ibique sub Præsulis vigili cura ad pietatis, & eruditionis præcepta Clericos informatos: vitam quippe communem cum Episcopo vivebant. Magnus inde animus Theologo nostro: *Semper ergo* (infert) *frequentem Senatum Episcopus habebat. Ab his, quippe qui tam arcto fœdere Episcopo contine-*

bantur, non difficile erat Episcopo ipsi consilia exquirere, iisque ducibus, & moderatoribus in Ecclesiæ regimine uti. Addit: *Felicitatem tantam a corruptis moribus pulsam exulasse, nec nisi seculo uno perdurasse.*

At duo hîc habemus, quæ principi causæ, ni fallor, non parum incommodant. Primum enim repugnare videtur Clericos, & Presbyteros in Seminaria compulsos tanti fuisse, ut Episcopus his consiliariis uti potuerit. Diffidebat certe his; idcirco ad censuram vitæ communis illos vocabat, nec eos existimabat, qui plebi moribus, & doctrina possent prælucere. Quodnam alias Episcopi piaculum gregem incustoditum relinquere, & vigili sacerdotum cura nudare? Quapropter aliud consilium debuit esse propositum SS. illis Episcopis Seminaria construentibus, videlicet ut ex illis prodirent sacerdotes, qui populo Dei essent utiles futuri; aliter peccassent, si sacerdotes optimos pessimo publico in Seminaria coegissent.

At dices: optimos quoque sacerdotes in Seminaria accitos, ea tamen conditione, ut, ubi opus erat, illi ad Sacramentorum administrationem, Verbi Divini prædicationem, plebiumque instructionem prodirent. Interim cum Episcopo non otioso non otiosos ipsos consilia communicasse.

Do manus; nec aliter res transigi poterat. Verum non Canonicos, sed Parochos in his presbyteris agnosco. Si enim in pastoralis sollicitudinis partem vocati erant, si plebium bono insudabant, laboresque cum Episcopo subibant, jam si non erant nomine Parochi, at munere, & re: præterea si non omnino desipio, qui fieri potuit, ut vete-

ris

ris Presbyterii jura in Canonicos commearint, neglectis illis, quibus fuerat Animarum cura concredita, qui digniores profecto fuerant e Presbyterio selecti, qui Cleri ipsius sub Episcopo, ut magistri & duces erant conspiciendi, quorum fidei rem tantam iidem Episcopi crediderant? Ubivis potius, quam hîc illudi mihi sinam. Qua fronte hæc nova collegia se supra Parochos extulissent? Non ipsis diem Parochi dixissent? Adeo ne tanta illata injuria obtorpuissent?

Sed sentio nescio quem mihi regerentem, quod odiosa res, odiosumque nomen sint Parochi; superbeque se gerant, atque Episcopo injuriosi non raro deprehendantur; jure ergo factum, ut his relictis Episcopi in Canonicorum Collegia veteris Presbyterii jura transtulerint.

At quando transtulerunt? Quo seculo, in quo Concilio, quo summo Hierarcha adnitente, vel probante? Quid? Transtulerunt Episcopi? Et Episcopi potuere id efficere? Nimirum inductam, Christo ipso docente, ab Apostolis regiminis formam tot seculorum felici successione confirmatam, conclamantibus omnibus, Parochos institutos a jure Divino, Parochosque esse Presbyteros illos, qui proximum, vel (ut barbare dicam) immediatum locum post Episcopum (sicuti Discipuli post Apostolos) teneant, hunc ordinem divinitus institutum, & usu comprobatum invertere, & priora posterioribus commutare, primisque celsa e sede deturbatis, nuperos, & novitios quosdam subrogare ausi fuerunt Episcopi?

Sed frustra laboramus; quandoquidem brevi unius seculi spatio, fatente Doctissimo nostro, Collegia illa steterunt; unde communis vita in-

tercidit, Canonicorumque cum Episcopo desiit contubernium.

Hem! Effluxit Senatus, laticlaviique memoria periit. Quis Gracchorum Tribunus plebis inimicam rudi Sacerdotali plebeculæ Senatoriam Canonicorum majestatem extinxit? Magnam profecto ab illa Sacerdotum capite censorum classe iniit gratiam. Cecidere tunc Presbyterii jura? Utique exstinctis Canonicis, penes quos illa erant. Immo manet, æternumque manebit Ecclesiæ ædificium; stat mole sua Ecclesia Senatoriis Canonicorum fulcris licet destituta. At quærimus, quonam Presbyteralia illa jura concesserunt? Extincta non credo.

Ut agnoscatur alterum, quod positæ a Theologo nostro sententiæ incommodat; rogo, illi, qui relinquebantur presbyteri, dum presbyteros, & clericos in seminaria Episcopi cogebant, erant ne de presbyterorum genere censendi? erant illi ipsi, quorum institutio tam magnifice a Nostro in prima Operis parte exhibita est, an ad laicorum classem redacti?

Erant, dicet utique, sed cum moribus fœdati, omnique doctrina destituti impares essent oneribus sacerdotalibus, merito neglecti, & exauctorati manserunt. Ast obsecro, estne illis substantia, & character sacerdotalis relictus? Profecto; sed his non utebantur Episcopi. Res ita sit. Nihil tamen eorum fœdati mores, nihil prodigiosa illorum inscitia detrimenti poterat sacerdotali gradui afferre, nec aliis, qui extra seminaria vivebant, nocere; & cernimus sane seminaria illa modo frequentiori convictorum numero redundasse, modo mira laborasse infrequentia, cum

nu-

numerus ab Episcoporum arbitrio penderet, illisque arbitrariæ ex Episcopi placito prærogativæ, & munia darentur . Cuncta igitur sica precaria proficiscebantur possessione, regulam, & normam futuris imponere non poterant, nec quid alicui, quod sui juris esset, auferre.

Odi precarias concessiones. Quid si Episcopus aliquis Vortumnis natus iniquis me hodie super ceteros evehat, mihique splendida quæque munia tribuat, cras auferat? Vidimus non infrequentes scenicas hujusmodi vices. Tum vero quot cachinnis exciperer?

2. Longius a vero nos abripi suspicabitur fortasse non nemo, dum Presbyterorum dignitatem, & jura a sola, quam ad cælum usque extulimus in præcedentibus (quod & in seqq. factitabimus) Animarum cura arcessere visi sumus, quin Seminaria illa curaverimus, aliamque non agnoverimus Presbyterorum cum Episcopo communionem, nisi illam, quæ utrosque in Animarum regimine copularet; quod falso a nobis affirmari dicet ille: quippe vetus Presbyterium, Canonicosque antiquos non sola Animarum cura constituebat. Nempe antiquitus non erat quis a Presbyterio, verusque Canonicus, quod Animarum curam gereret, sed quod ab illo esset Clero, qui in corpus unum cum capite Episcopo coalescebat. Nam & Parochi rustici Animarum curæ erant addicti, nec Presbyterio accensebantur. Unica ergo Presbyterii nota hæc erat plane, quod capiti suo Episcopo velut membra adhærescerent, quod porro cum non jam Parochis, sed solis Canonicis conveniat, qui & olim Animas curabant, modo hoc

hoc onere abjecto unum cum Episcopo corpus pergunt conflare.

Sed, qui sic ratiocinatur, cælum terræ miscere conatur. Scimus enim primis Ecclesiæ temporibus clerum superiorem cujusque Civitatis coaluisse cum Episcopo, & non solum ad spiritualis, sed etiam temporalis administrationis munia vocatum. At communi non utebantur domo, nec mensa, uti nec modo, sed in communi possidebant res omnes Ecclesiæ, quarum partes singulis distribuebantur, itaut cujusque necessitatis, ordinis, & laboris ratio haberetur. Inter se vero devinctissimi erant, & Episcopo clerici majores eo continebantur nexu, qui necessarius erat, ut de temporali, spiritalique administratione eis conveniret.

Nunc vero quoad utrumque desiit hæc conjunctio. In illa tamen erat præcipuum, quod spiritualia potissimum attingebat, cum Ecclesiæ indoles a temporalibus abhorreat, nec ea nisi in necessarios, aut utiles usus assumat. Interea videamus, in qua ministrorum classe illa mansit, manebitque Episcopi cum presbyteris conjunctio. Qua quidem in re aut nullam nunc esse conjunctionem Episcopi cum presbyteris, aut in Parochis urbanis hanc servari affirmandum est. Illud etiam adde non posse hujusmodi conjunctionem cum Episcopo servari, si abstrahatur ab Animarum cura. Cum enim unum Episcopi negotium sit Animarum cura, fit hinc, ut quicum Episcopo non colligit, dispergat. Nos vero hîc Episcopum intelligimus, non aulicum, non equitem, non aliis ἀδιαφόροις πράγμασιν implicatum, cujusmodi Episcopo nullum adhærescere volumus, nisi

nisi qui in memorato opere illi manus porrigat auxiliatrices: quo ad cetera vero adhærescentem non curamus. Etenim, dic sodes, quomodo poterit in unum, corpus cum Episcopo coalescere ille, cui nihil cum Animarum cura? Cujus aliæ omnino, & toto cælo diversæ vi sui ministerii sunt partes? Immo quomodo non spuria membra illa, quæ nihil in unicum, ad quod destinantur, influunt ministerium? Quave arte aliena hæc illi inseres corpori?

At dices: Parochi agrestes curam Animarum habebant, & tamen Presbyterio non accensebantur. Stultus, qui sic ratiocinatur, cum longe seposita, & disparata in idem coarctet punctum, & quod consonat cum eo, quod dissonat, inconcinne connectat, unde incompositam, confusamque vocem emittat: & quidem licuit Theologo nostro Presbyteris Constantinopoli degentibus tanta tribuere pag.46. stricte accipiendo salutationem illis impertitam ab Ephesina Synodo, qua *Comministri, & membra Concilii* appellantur. *Erant*, ait ipse, *hi presbyteri membra Concilii non actu quidem, nam a Concilio aberant, ergo jure, locus quippe quem in Hierarchia obtinebant, jus illis certe tribuebat, ut cum Episcopis adessent, & judicarent* &c. Quanta nostri Theologi benignitas! Et non licebit idipsum sensu, de quo agitur, ad rusticos illos Parochos transferre? Nimirum erant a Presbyterio in hoc sensu. Non erant, quia non de illa communi Mensa alimenta percipiebant, sed suæ ab illa Ecclesia, cui erant affixi, sacræ militiæ stipendia merebantur. Quapropter opere Episcopatus proprio, quod est

Animarum cura", erant illi maxime Episcopo conjuncti.

Quod si Thomassinus ex Neocæsar. aliisque vetustis monumentis eminentiam presbyterii urbis supra hos agrestes presbyteros late persequitur, id non mirabimur; quin nostrarum in confirmationem rerum jure vocabimus, Parochorum urbanorum supra diœcesanos dignitatem exinde asserentes. Eos etenim, qui probitate, & sapientia magis præstabant, Episcopi seligebant, quos urbanis Ecclesiis præficerent, eos vero, qui minus præ illis erant conspicui, rusticanis oppidis addicebant, quos tamen proficientes, & majoribus virtutum incrementis adauctos in Ecclesiam Matrem revocabant, Presbyterioque urbano accensebant. Vides id apud Cyprianum in Victricio Presbytero.

§. IV.

§. IV.

SUMMARIUM.

Discutitur horrenda assertio Theologi nostri, quæ opponitur omni juri.

1. NOn obiter rem transeundam, nec surda aure excipiendam (quæ verba sunt Cyni) proponit nobis Theologus noster. Equidem παράδοξα audivi multa; at hoc nullum neque audacius, neque impudentius. Et nisi fœdis quibusvis, stultis, indignis, & ἀλόγοις in hac miserrima temporum conditione obcalluissemus, rigidum in lapidem (novum fabulis argumentum) verteremur. Exhorrescat atramentum, ac pudore charta suffundatur, dum exscribo, quod habet hîc pag.88. Theologus noster: *Nihilominus tamen*, sunt ejus verba, *ut ut Canonici illo Animarum curandarum onere peculiari levati fuerint, adhuc tamen Parœciarum totius Diœceseos eminenti quadam ac generali sollicitudine, ac regimine, eo nimirum, quo Episcopus ipse tenetur, una cum eo ex vi sui ministerii obstricti, devinctique sunt.*

Quamvis ex his, quæ sparsim disputavimus hactenus, refutatum sit evidenter paradoxum hoc, tamen antequam ad alia progrediamur, satius duxi hîc inanitatem absurditatemque malesanæ doctrinæ luculentissime demonstrare. Qua in re desideramus hîc solitam Thomassini (a quo Noster exscripsit) prudentiam. Ergo dicat Thomassinus hæc tam magna, & splendida quibus tamen testimoniis confirmantur? Inducitur nova interea politia juri Naturali, Divino, & Ecclesiastico re-

repugnans, & præpostero ordine Ecclesia, quæ est, ut castrorum acies ordinata, in maximam (quod absit) confusionem impellitur.

Et primo quidem juri Naturali repugnat illa politia; enimvero parochum ut suum parentem Canonicus venerari debet, quippe abs quo Baptismum recepit, quique ipsum in Christo parturiit. At non erat tunc Canonicus inquies. Ostende per Canonicatum hac obligatione liberatum fuisse, ostende per Canonicatum hæc adeo arcta caritatis, obsequii, reverentiæ vincula fuisse dissoluta. O Canonici vos nobiles, nos autem ignobiles, vos divites, nos pauperculi. At respicite petram, a qua estis excisi, & cujus ministerio id actum est; mementote ubi, & per quorum symbola, & testimonia ad minores, majoresque Ordines ascendistis, & vos si, quod absit, superbia pertentet, reminiscamini, quid futurum sit in vestris novissimis diebus, quem invocetis, qui SS. Viatico vos reficiat, & Extrema roboret Unctione?

Nec quis importunus reponat! & tu, Paroche, non accipies hæc eadem a simplici sacerdote tibi substituto? Accipiam, si lubet, alias advocabo presbyterum Venafranum, Monachum album, vel nigrum, quo ministro utar, cum SS. Viatico reficiendus, cum inungendus ero: age hoc, si potes, tu Canonice? Exclude, si placet, Parochum tuum?

Deinde pone decimas Parochis, ut Ecclesia præcipit, persolvendas. Quid? Non solves tu, Canonice? & tamen ex hoc capite longe majorem sacerdotii Melchisedechiani supra Aaronicum sacerdotium præstantiam, & dignitatem luculen-

tissi-

tissime Apostolus ad Hebr. arcessit; quia Aaron in lumbis Abrahæ decimatus fuerit, et si quid præterea quæris, quod te Parochialia jura edoceat; de avaritia quoque Canonicorum admoneat, adisis pulcherrimam Bonifacii VIII. Constitutionem relatam Cap. AD DECIMAS Restit. Spoliat. in *6*.

Adversatur etiam Juri Divino; nimirum pluribus Theologus noster contra Bellarminum supra demonstrare conatus est presbyteros (& magis eos, quos Parochos dicimus) 72. Discipulorum esse successores. Ergo Parochi divina se missione tuentur. Tantus illis nativæ dignitatis splendor affulget. Possunt ne, amabo te, de hoc Canonici, quod tales sint, gloriari? Sed non expedit in eorum originem hîc inquirere. Quid? Audeto quicquid Græcia mendax audet in historia, nunquam tibi simile somnium felix immittet φαντασια.

Ea tandem assertio refragatur juri Ecclesiastico; namque Ecclesia, quæ Sacramentorum vinculo colligatur, ac dives tanto thesauro gloriatur, & se Filii Dei unicam probat sponsam (extra ipsam enim Sacramenta non sunt, & quæ extorres ministrant, ab ipsa furati sunt) ea Ecclesia, inquam, Sacramentorum, quæ omnibus Fidelibus communia esse debent, ministrationem, veluti Parochorum provinciam, iis demandavit. Hinc baptizet, si placet, filium fratris sui Canonicus Parocho invito; connubialia fœdera inter filiam fratris, aut sororis suæ, vel sororem suam, & alium virum, ut Ecclesiæ minister (sine quo matrimonium non constat) conciliet, firmetque reluctante Parocho. Sed si stet ei sententia hæc

pera-

peragere, ſupplex Parochum opus eſt adeat. Hui! Superior inferiorem?

Cum ergo omni juri adverſetur aſſertio Theologi noſtri, tota abſurda est, & ejus inanitas evidentiſſime patebit ex ſeqq.

§. V.

SUMMARIUM.

1. *Infirma ſunt, quæ ex Hincmaro Rhemenſi profert Theologus noſter.*
2. *Ex Aldrici Epiſcopi Senonenſis, & Gerardi Cadurcenſis frigide argumentatur Theologus idem.*
3. *Quæ ex Chriſtianæ humilitatis Spiritu SS. Præſules geſſerunt, non ſunt in veritatis diſpendium detorquenda.*

A pag. 90. ad 94.

1. POſſem impune prætermittere ea, quæ ex verbis, aut factis quorumdam Epiſcoporum fuſe in rem ſuam derivat Theologus noſter, cum non univerſalis Eccleſiæ illa uſum, vel πρᾶξιν probent, & bona mens alicujus Epiſcopi ſuſcepta in egregios, & ſanctiſſimos (ſi fieri potuit) Canonicos de ſuo jure multum eum decedere ſiverit, ut in illos uberrime favores, gratiaſque contulerit, aut potius vel alterius imbecillitas præſulis hinc, inde Canonicorum ſagacitas (avidiſſimum ſemper genus illud, quod ex ipſo Noſtro hic dignoſcitur) uſurpatione peſſima, quæ Epiſcopi

ſcopi erant, ad Capitulum trahendi opportunam occaſionem præbere potuerint. Ne tamen ea, quæ tanto labore Theologus colligit, ſpernere videamur, ipſis brevitate, qua fieri poteſt, maxima, ſatisfacere aggrediamur.

Inducitur primum Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, qui omnia ad Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem ſpectantia Canonicorum conſilio tranſigebat; *idque doctiſſimus Hincmarus; quia probe callebat Canonicos eſſe Epiſcopi Senatum:* religionis hujuſmodi Hincmarianæ luculentiſſimum profert ſpecimen, *quod cum Abbas neſcio quis Eccleſiæ fundos ad cenſum ſibi concedi poſtularet, hoc negotium de communi Canonicorum conſilio expediendum cenſuit ſapientiſſimus Archiepiſcopus.*

At ſi quæ excelſa, quæ vere magna, & ſublimia de Parochorum dignitate affert Hincmarus, conferantur cum his, quæ ab eodem pro Canonicis colligit Noſter, immane quantum hæc conglacient. Verum ego hominem hunc ut pro Parochis loquentem non curo, ſic nolim, cum de Canonicis agit, mihi negotium faceſſat, cum nullum nec dictis, nec factis ejus pondus arbitrer ineſſe. At tu, eruditiſſime Vir, noſti Hincmarum? *Sic notus Ulyſſes?*

Hincmarus ut ingenio, & juris peritia nulli ævo ſuo ſecundus, ſic ambitione, & ſuperbia ſupra omnes eminens jura, conſtitutiones, conſcientiam ipſam, & cuncta alia ſuis inſervire ſemel ſuſceptis ſtudiis, & cupiditatibus adigebat. Hic, qui & Summi Hierarchæ ſummam auctoritatem flocci habebat, & nefario auſu juſtas, & legitimas ad Sedem Apoſtolicam appellationes

iniquis molitionibus interturbabat, hic, inquam, religione tanta Capituli sui jussa, consilia, nutus excipiebat? Qui fratris sui filium Hincmarum nomine Episcopum Laudensem, acerrimi ingenii virum, Romanam Sedem justa de causa appellantem, tam male habuit, ut Laicorum Tribunalium sævitiæ opera sua objectum, & per asperrima quæque traductum, oculis (tormenti genus) effossis, miserrime diem supremum obire coegerit, & pro mortui requiete (vide hominis ὑποκρισιν) parentalia indixerit, & sacrum ipse multis diebus peregerit. Res non ignotas invado. Nec me iniquum nimis Hincmaro queraris. Ab his enarrandis se non abstinuere ipsi Hincmari laudatores Gallicani historici.

Inter hos convenit Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum totum secularibus negotiis occupatum, Ecclesiasticis muneribus, & iis, quæ Episcopalis erant provinciæ, non impigram omnino operam navavisse. Quid frequentissimæ illæ per Regia Tribunalia cursitationes? Quid aulicorum prensationes? Scimus quanta auri vi locus in Regia ipsi patere debuerit; & tamen quid iterati Africanorum edictis conciliorum hac de re cautum fuerit, ipsi non latebat. Hic est Hincmarus ille, cujus effusam in Canonicos suos liberalitatem, dimidiumque regiminis translatum magnifice extollit Theologus noster.

Sed quid tandem istud? Scilicet noluit Abbati cuidam fundos Ecclesiæ ad censum concedere Canonicis inconsultis: nempe hoc totum? Quid si illi fundi de mensa erant Capitulari? vel communes Episcopo cum Canonicis? Quid si v... ferrimus homo invidiam, odiumque Canonic...

apud

apud abbatem illum, & monachos voluit conflare, cum Canonicos semper infestos Episcopo omnis tradat antiquitas? callidi hominis facta semper aliquid habent reconditi: ludum aliquem ludere volebat Hincmarus, & specie hac honoris Canonicos sibi conciliare, & promereri; etenim clamassent alias Canonici: Regiam liberalitatem in cathedralem, & Canonicos splendida fundorum donatione collatam Præsulis improbitate, inconsulta venditione, censu, locatione labefactatam.

Sentit imbecillitatem argumenti Clarissimus Noster; hinc firmiora attexit: *Sed res* (sunt ejus verba) *longe gravioris momenti, ut quæ spiritualem spectarent disciplinam, cum eisdem communicatas volebat. Eos igitur certiores fecit de canonicis duobus, qui ceterorum deseruerant societatem, utque eos benigne acciperent reversos, admonuit . . . . . Eadem humanitate utendum scripsit etiam erga Adelgandum Diaconum, pro quo rex etiam Ludovicus precatorias ei per eumdem direxerat.*

Mentio Regis hic injecta valde me in sententia confirmat. Totus aulicus Hincmarus Judaismum ipsum, ipsamque idololatriam Canonicis, illique Diacono quam libentissime indulsisset, si Regis accessisset commendatio. Credo, quod socios illos desertores pientissimi Canonici detrectabant redeuntes accipere eo, quia erant illi delictorum colluvione polluti. Quis igitur eorum reditum non exhorruisset? Aulicis ergo quoad Canonicos, Regi quoad Diaconum obsecuturus Hincmarus sic Canonicis, bonis utique viris, illudit. Poterat ipse

ſolus iniquitatem tantam bibere; at in partem venenati poculi Canonicos vocavit. Et de Hincmaro ſatis.

2. Profert deinde Doctiſſimus noſter Aldricum Epiſcopum Senonenſem, mox Gerardum Epiſcopum Cardurcenſem religioni ſibi ducentes aliquid in eccleſiarum ſuarum negotiis moliri præter Capituli, Monachorum, quin & Laicorum conſilium, & ſententiam.

Video nihil amplius Canonicis tributum, qui coæquantur monachis & laicis. Sed hæc quorſum proferuntur? Ergo ne Chriſtiana humilitate inſignes Epiſcopi, qui ex Sapientis eloquio præcipientis, ut nihil ſine aliorum conſilio aggrediamur, Epiſcopi, inquam, conſilia communicantes cum presbyteris, qui prudentiores aliis videbantur, idque, quando ipſis placebat, qui presbyteri canonici vel non eſſe poterant, praxim regulamque conſtantem in Eccleſia figent, ut nefas ſit Epiſcopos hodiernos aliorum conſiliis uti, ſed tantum canonicos rogare, & conſulere debeant?

3. Ubi auditum eſt ea, quæ a modeſtia, & caritate proficiſcuntur, his, qui virtutes illas (utinam non raro exemplo) exercent, detrimentum poſſe ingenerare? Novimus quid Epiſcopalis modeſtia ſibi vindicet. Utinam viſibile Jeſu Chriſti Regnum in caritate fundatum ejuſdem caritatis ſemper vehiculis, molibuſque per eos, a quibus debet, regeretur! Quot damna ex nonnullorum ſuperbia prælatorum invecta in Eccleſiam! Nollem multas eſſe civitates, quæ lacrimabili caſu ea non fuerint expertæ! Ceterum, quid exinde queat extundi, non video.

Intentabit alias, Summo Pontifici litem Raven-

vennatensis Antistes, & de Primatu contendet, quia Alexander III. sic Ravennati Episcopo scripsit: *SI QUANDO aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes . . . Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia PATIENTER SUSTINEBIMUS, si non feceris quod prava nobis fuerat insinuatione suggestum*, Cap. V. Rescript.

O dignam Pontificia Majestate vocem! Miseram (quod de Summo Pontifice vere magnus summus Pontifex Adrianus VI. dictitabat) prælatorum vicem! Quot dolis, quot technis callidi perditissimi viri in hos agunt? Ubi errorem deprehendent, corrigant, nec indecorum sibi putent, si frequenter dictum suum retractent. Non erubuere sapientissimi ipsi legumlatores (&, quod magis mireris, ethnici ipsi) id, ubi opus esset, efficere; quanto magis Episcopus, qui Christianæ humilitatis vi sui muneris magister, & doctor esse debet? Attendant hi ad Cap. V. De Restit. in Integr. *Præsertim* (sic illud) *quia sententia Romanæ Sedis non negatur in melius posse commutari, cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione rerum, & temporum, seu gravium necessitatum dispensatione quicquam ordinare decrevit. Et secundum jura civilia Principes etiam contra res bis judicatas in Auditorio suo restitutionem in integrum permiserunt. Perspeximus quoque ex data sententiæ in-*

registro dicti Eugenii Papæ repertæ, quod primo mense sui pontificatus fuerit promulgata, quando non plene de meritis ipsius causæ videbatur INSTRUCTUS. Hæc Innoc. III. quantus Pontifex! De hoc jure dixeris, quod omnia jura in scrinio sui pectoris asservabat.

Hæc autem propterea commemoravi, ne quis existimaret me adeo dementem, qui negem Episcopum egere consilii; vel adeo improbum & invidum, qui Canonicos velim amotos; imo hos primum, modo aptos nanciscatur, adhibeat Episcopus, contra irruentem quoque superbiæ vim hoc munimine Prælatorum pectora obarmasse non fuerit omnino inutile.

§. VI.

§. VI.

SUMMARIUM.

1. *Quæ Theologus noster urget ex Episcopis agentibus cum Congregatione Cleri, Parochorum causam juvant.*
2. *Episcopi, qui instar Monasteriorum Diœcesim gubernabant, non hic incommodant.*
3. *Quacumque ex parte in antiqui, vel medii ævi monumenta oculos conjicias, semper victrix Parochorum causa.*

A pag. 94. ad 97.

1. Mirabilis est Tractator noster, cujus imis in medullis Canonicorum amor insedit, quique adeo hæret in horum contemplatione in uno hoc obtutu mentem defixam tenens, ut quemadmodum ille in fabulis *& Solem geminum & duplices se attollere Thebas* videbat, sic ipse hos solum in toto Clero cernat, alium præterea nullum neque in cælo sursum, neque in terra deorsum sacerdotem agnoscat, quasi omnes, & omnia unus absorbuerit canonicatus. Quocirca sicubi occurrit sibi legenti CLERUS, solos Canonicos dictos putat, si CONGREGATIO ECCLESIÆ nominatur, jurat solos illo nomine Canonicos intelligi. Uno verbo: *Juppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.* Vellemus pressiorem illius vocis significationem. Ecce namque Monachos in claustris sub Abbatum regimine viventes Canonicis

accenſet : vocat etiam canonicos Clerum Auguſtino adjunctum ; inde ab Hincmaro, qui floruit ſeculo IX. & a Gerardo anno 1090. recurrit ad Alipii, Auguſtini, aliorumque Africanorum Epiſcoporum tempora, nulla variantis diſciplinæ habita ratione, nullo temporum delectu, cum alii aliis temporibus mores invaluerint, rurſus, & eodem tempore diverſi mores pro regionum diverſitate: commemorat quoque epiſtolam Cleri Pariſienſis ad Guenilonem Metropolitam conſentientem πράξει Alipii, & Auguſtini, ſcilicet Africam cum Gallia connectit, & quaſi novum quid exhibeat illa epiſtola, urget jus Canonicorum in electione præſulis, quia clerus Pariſien. epiſtolæ auctor eſt. *Clerus autem ille quis niſi Capitulum?*

Quis niſi Capitulum? Inſcriptio epiſtolæ hujuſmodi eſt: *Clerus matris Eccleſiæ Pariſinorum, & Fratres cœnobii S. Dionyſii, ac S. Germani, & B. Genovefæ, ac Foſſacenſis, diverſorumque Monaſteriorum unanimitas.* Hui quot Canonicorum! Ipſa multitudo vilitatis eſt argumentum.

Sed infirmis hiſce argumentis en aliud decretorium ſuccedaneum, quod & jugulum petit, & de nobis plane conclamatum oſtendit; ſcilicet Elnenſis Concilii anno 1065. edictum cauſſas ad Epiſcopi, & Canonicorum judicium rejicientis: *Querela ad Epiſcopum, vel ad ejus Canonicos fiat.*

Quid ſi hic totum concederem? An exinde aliquid detrimenti in Parochorum inveheretur dignitatem, & Canonicis hoc munere decoratis aliquid ſplendoris accederet? nihil alienius.

Nimirum fuerunt ſemper alienæ a ſpiritu Eccleſiæ contentiones, & querelas nonniſi cogente ne-

necessitate per improbos scilicet mores illatas suscipit illa, pro iis judices constituit, sustinet, patitur; ejus tamen in his animus non est. Utque Christus familiæ herciscundæ judicium inter duos fratres collitigantes detrectavit; & illa refugere vellet tam ecclesiasticos inter se dissidentes, tam laicos querelas adversus ecclesiasticos apud ipsam Ecclesiam instituentes. Quid mirum, si hoc forense ministerium (rem ceteroqui nimis vilem, & abjectam, si ad sacerdotales functiones spectes) Elnense Concilium in Canonicos inferioris utique notæ sacerdotes rejecerit? Et loquimur de strepitu judiciario; maxime autem honorificum, & ab Episcopali dignitate non alienum dissensiones amice componere, & hoc sensu accipimus Elnense, dum ad Episcopum querelas jubet deferri.

Ast fuerit illud honoris indicium, & prærogativæ Canonicorum argumentum; obtinuit ne idipsum ubique? Ego miror sic Theologum nostrum hæc levicula suspicere, cum videamus his multo majora sequentibus seculis invecta; nam non defert Episcopus Vicario Generali (qui & Clericus esse potest) totum contentiosum Tribunal? Quid interea? Et miraris, si Elnense Canonicis, utique sacerdotibus, partem opere in illo tribuerit?

2. Sed quonjam multi Episcopi ex Monachis assumti in Cathedrales Ecclesias Canonicos Regulares inducebant, & regularem formam, cui in Monasteriis assueverant (ubi cum consilio, & consensu Capitularium res quæque transigebantur) adhuc vellent servare, hinc effusioris liberalitatis in Canonicos illos argumenta per eosdem Episcopos

pos collatæ conſpicimus: proinde mirari non debemus, ſi audimus interdum Canonica auctoritate geſtum, quod illorum prævio conſilio, & conſenſu fuerit expeditum.

Quid ſi laici etiam ad eccleſiaſticos advocarentur conventus? Ipſe Theologus pag. 92. inducit Aldricum Senonen. *Epiſcopum cenſentem nihil de Eccleſiæ ſuæ ſtatu immutandum præter Capituli ſui, imo & Monachorum, ipſorumque etiam Laicorum ſententiam*. Hæc longius deducere eſſet operam abuti, nec nobis curandum, quomodo inter hunc, vel illum Epiſcopum cum ſuo Capitulo res ſe habuerit, cum quiſque paterfamilias domi ſuæ ſit moderator, & arbiter, cui modo de jure ſuo decedere, modo illud perſequi integrum ſit.

3. Quod tamen me movet, ut in incœpto perſiſtam, quodque facit, ut veluti murum aheneum omnibus objiciam, nec morer Hincmarum, Gerardum, Monachos albos, vel nigros, omneſque, quorum mihi præceptiones, exemplaque, mores, & inſtituta Theologus noſter repræſentat, illud eſt, ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium perpetuo in Eccleſia cuſtoditum, ad quod magis, quam ad Lydium lapidem, cuncta velim explorentur. Video in hoc ſummum Paſtorem ſuo cruore oves detergentem, & pro illis animam ſuam libentiſſime ponentem. Cerno præterea eundem ad cælos aſcendentem, ac Petro, futuriſque hujus ſucceſſoribus ovium curam commendantem: *Paſce oves meas*. Video quoque a Spiritu S. conſtitutos Epiſcopos, qui Paſtores & ipſi gregem, qui eorum diſciplinæ traditus eſt, regant: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei*. Petr.I. Cap. ult.

Quam

Quam præclarum hoc nomen! Arbitror, si qui sunt, quibus aliqua beatissimæ illius Provinciæ quantumlibet minima sortitio obtingat, hos naturali, & indivulsa cognatione cum summis Pastoribus copulari, iisdemque pro modulo suo, atque illos sollicitudinibus, periculis, laboribusque distineri. Hos sub quacumque veste, & nomine mihi obtrudas, illos ego semper dicam esse, quos quærimus, Presbyteros, illosque duplici honore dignos clamabo.

Quapropter ostende Seminaria, indica Collegia; coalitæ, vel disjunctæ communionis cum Episcopis propone tempora, percense etiam privilegia, exceptiones commemora, sine me tamen perquam diligenter scrutari, in quibus eximium illum Pastorum deprehendam characterem, quibus nunquam Ecclesia caruit. Si in Seminaria, & Collegia Clerus aliquibus temporibus fuerit compulsus, ibique cum Episcopo communis vitæ vixerit societate devinctus, scito, quod ex his, qui probitate, doctrina, & zelo insigniores videbantur, hos Episcopus difficilioribus rebus gerendis, vel socios secum educebat, vel ut duces mittebat; atque hi erant illi, qui ab ipsis Ecclesiæ incunabulis duplici honore, Apostolo judice, digni habebantur.

Dum ergo audis honorifica Episcoporum de Canonicis judicia, ne animum subeat vana, & prorsus inepta, & SS. illis Episcopis indigna nimium persuasio, tanto honore cumulatos desides, & fruges consumere natos presbyteros, oculos animumque potius intende in id, quod presbyterii substantia est, Animarum scilicet curam. Hæc (quod nunquam monere desinam) statera

sit

ſit, quæ pondus, & pondus æqua lance libret: Hi qui in partem ſollicitudinis ſunt vocati, qui divina ſunt Miſſione conſpicui, quibus grex Chriſti paſcendus traditur, hi profecto illi, quibus principem poſt Epiſcopos locum nec ipſe injuſtus Catilina denegabit.

Et quoniam a conjunctione Canonicorum cum Epiſcopo robur cauſæ ſuæ arceſſit Noſter, & jura non violata ex Canonicorum ab Epiſcopo ſejunctione nititur evincere (felicem ſortem Canonicorum, quam & Epiſcopi conjunctio fovet, & ſeparatio auget, ut neſcias, an beatiores cenſendi ſint Canonici cum Epiſcopo conjuncti, an ab eo ſeparati) tantiſper hic in iis perpendendis immorandum.

Magna Epiſcopatus dignitas, de qua innuimus nonnihil ſupra, nunc autem, quod ad rem præſentem facit, leviter attingimus. Epiſcopos poſuit Spiritus S. Eccleſiam Dei regere, quam ille acquiſivit ſanguine ſuo, paſcere gregem, pro hujus cuſtodia dies noctesque vigilare, mores corrigere, in Fide confirmare, lapſos erigere, populoſque ſibi traditos Sacramentorum, & unius ejuſdemque doctrinæ vinculo colligare, ut unum ſapiant omnes, ut ſit credentium cor unum, & anima una, & uno verbo ea, quæ ad æternam ſalutem comparandam facere videntur, accuratiſſime moliri; in his omnibus celſi illius gradus ſublimitas poſita eſt.

Jam conjunctiores Epiſcopo illi profecto cenſendi ſunt, qui divino judicio probante eorumdem laborum, quos ſubit Epiſcopus, conſortia ſuſcipiunt, quibus non extraordinaria Miſſione oneris aliquid additur, ſed ex ſui natura totum onus impo-

imponitur, quorum eædem prorſus, ac Epiſcopi ſollicitudines ſunt, quorum quo periculoſior alea eſt, eo major cenſenda virtus. Hi autem quinam niſi Parochi? Quos, etiamſi nemo docuerit, vides agnos miſſos inter lupos; expudoratarum mulierum, ebriorum, aleatorum (quid cetera commemorem?) agminibus objiciuntur; quibus panis doloris eſt paratus: qui noctem non amplius unam nec quiete poſſunt tranſigere: in hos omnium oculi conjecti; caveant, ne ſacrum una die non faciant. Cur? quare? (oggannit popellus) Parochus hoc mane ſacro ſe abſtinuit? An quid turbatum domi? An aliquo ſe ſcelere obſtrinxit? Deus immortalis! Quid ſi contagioſo morbo aliquis corripiatur? væ Parocho, niſi morboſo lecto illius ægroti, imo affixus humo, & ponens in pulvere os ſuum, ſi humi pauperculus moriens jaceat, donec expiret, hæreat, lapidibus obruetur. Quid plura? Sunt Parochi velut ſignum ad ſagittam poſiti.

Eſt & aliud longe periculoſius illis ex vi ſuſcepti muneris certamen certandum. Egregie Tridentinum *onus Angelicis humeris formidandum* Parochiale munus appellat. Et Angeli quidem corporis expertes nulla carnis titillatione jactantur; at Parochum aſſiduis mulierum aditionibus inquietatum nullæ ne inhoneſtæ aggredientur illecebræ? Non hic (pudet enim) commemoro olentes meretricum fornices, per quos non infrequenter Parochus cogitur curſitare. Dic ſodes, quam lata ad perniciem feneſtra, quando nocte intempeſta Animam agentibus hortator, & auxiliator accurrens ſeminudas virgunculas cum ſomno luctantes; mulieres male præcinctas, nec omnino

ad

ad pudorem compoſitas effugere non poteſt. Arcta fortaſſe res domi eſt. Cetera tenes. Numquam iniquius comparatam concertationem caſtitati arbitror.

Ad rem. An non Epiſcopi brachia, cor, oculos, viſcera Parochos dices? Nunquid unum, Episcopalis ordinationis faſtigio, & univerſali ſollicitudine excepta, Parochus cum Epiſcopo? Quid aliud tanto molimine intendit Chriſtus, niſi Animarum ſalutem?

Videamus quænam Canonicorum munera, quænam opere in tanto pars laboris. Me tacente æquus judicet lector. Et quidem ſi muneribus & officiis dignitates æſtimantur, ſatis demonſtratum eſt, Parochos iisdem ac Epiſcopos muneribus onerari. Quomodo ergo non ſunt juncti Epiſcopo? quomodo Epiſcopi Parochos non eos habebunt, quibuſcum omnia, quæ ſe cura aliqua in Animarum regimine afficiunt, una communicent? Quomodo non una diſpicient, cavebuntque, ne quid detrimenti Chriſtiana capiat Reſpublica? Quare effuſæ liberalitatis nonnullorum Epiſcoporum, quæ hîc a Theologo noſtro commemorantur, in Canonicos collata pignora, ego arbitror eo ſpectare, ut adnexam Canonicatibus laborioſam Animarum curam his amoris ſignificationibus Epiſcopi illi voluerint remunerari.

Aſt quid dicendum de Canonicis Animarum cura ſpoliatis? Alia horum ratio. Vellem, ne memoria Theologo noſtro excidat, quod ipſe paulo ante monuit de contentionibus, jurgiis, diſsidiis Canonicorum (otioſi profecto erant hi) cum Epiſcopis de exemtionibus, privilegiis &c. Optarem, ne extarent iſta intemperantioris Ca-

no-

nonicorum ambitionis horrenda monumenta. O Canonici, vos ne illi UNUM cum Episcopo? Siccine in leoninam humanam illam societatem tanto fœdere cum Episcopo initam vertistis? Pugnastis in viscera Matris vestræ, quæ vos Sponso suo Episcopo Pastori adhærentem gregem eduxit. O Episcopi

Vipereo generi, & graviter spirantibus hydris
Spargere quis somnos cantuque manuque valebit?

Non bene ergo Canonicis creditur; nec fausto exitu in hos concessiones, & privilegia conferuntur. Egregia hinc Episcopis præceptio, quomodo se erga Canonicos gerere debeant, cum privilegia, & favores illis impertitos in sua ipsi damna versos plerumque sentiant. Nihil hujusmodi de Parochis in tota offendimus antiquitate.

§. VII.

§. VII.

SUMMARIUM.

1. *Discutitur Alexandrina Constitutio, in qua tota Theologi nostri causa triumphat.*
2. *Hujus evertitur ab imo totum fundamentum.*
3. *Frustra Paschalis II. & Callixti decreta invocat Theologus noster.*

A pag. 97. ad 98.

1. INflatis altius tibiis, omnibusque collectis viribus exultabundus aggreditur Theologus noster, quod omnium maxime urget, novoque eloquentiæ de singulis vocibus sollicitæ impetu susceptam caussam propugnaturus se ipse excitans exclamat: *Age majori, qua possumus, diligentia rem exequamur.* Hinc decet & nos nihil eorum, quæ profert, dissimulare, vel prætermittere, quod ingenuus pudor vetat, & justitia exhorrescit.

At principio non abs re esse ait *sapientissimi illius consilii meminisse Paschalis II. qui Compostellano Episcopo auctor fuit, ut tales sibi Presbyteros, sive Canonicos constitueret, qui digne valerent commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere.* Subdit: *indivisam curam Episcopi, & Capituli præ oculis habens Callixtus II. vetuit, ne Archipresbyteri, vel Archidiaconi pro illorum temporum disciplina Clericorum ullum interdicerent Archiepiscopi, vel Capituli injussu.*

Affert

Affert celeberrimum Cap. *QUANTO his, quæ fiunt &c.* ubi Alexander III. ſcribens Hieroſolymit. Patriarchæ ait: *Quod ipſe Patriarcha & Canonici unum ſunt Corpus, ut Ille caput, Hi membra cenſeantur, iccirco non decere, ut Patriarcha omiſſis membris aliorum conſilio utatur in Eccleſiæ ſuæ negotiis. Et quoniam ille Patriarcha ſine conſilio Canonicorum Abbates, & Abbatiſſas* (vide quanta de re agitur) *deſtituebat, & inſtituebat, vetat id fieri ſine aſſenſu, vel conſilio Canonicorum ſuorum.*

Hæc eſt illa præclariſſima Conſtitutio ALEXANDRINA, quæ prora, & puppis eſt egregio Tractatori noſtro, quam ad ravim uſque iterumque iterumque in ſequentibus invocat; & ceteris omiſſis vide qualis, & quantus Pontifex eſt hic, qui decernit.

2. Hæc, quæ rem conficere videntur, ſi paulo diligentius inſpicias, nihil ad rem facere æquus judex affirmabis. Doleo ipſos clari nominis Canoniſtas ſic Capitis hujus QUANTO magnifica verba ſtupuiſſe, ut ingentem exinde, qualem profecto doctiſſimus Aſſertor noſter, in Capitula omnia cum Epiſcopalium jurium detrimento auctoritatem invexerint. Verum inſignis hîc fallacia eſt, & Logico nimis indigna de Genere ad Genus tranſitio.

Hieroſolymitanum Capitulum conſtabat ex Canonicis Regularibus, qui Mitra, & Baculo utebantur, & PRIORES vocabantur; hi ex ſuo gremio Archiepiſcopum, ſeu Patriarcham velut Abbatemſibi eligebant, & ad normam Monaſticarum Conſtitutionum Eccleſias Monaſterio ſuo ſubjectas regebant, quibus Prioribus, ſeu Canonicis ſervan-

da erant ſua jura, cum id S. Benedicti regula ſatis cautum ſit. Patriarcha ille non omni ex parte ſpectatæ probitatis cum conſtitutos fines eſſet prætergreſſus, jure a Pontifice ad officium cogitur, & ad Fratres in conſilium adhibendum damnatur.

Dixi: Patriarcham illum non omnino fuiſſe ſpectatæ probitatis, nec illi calumniam ſtruo: ipſi enim ibidem inter alia opprobrat Pontifex: *In Privilegiis etiam, quod tuam dedecet honeſtatem, ad majorem auctoritatem, & certitudinem nomina Fratrum tuorum, qui abſentes fuerint, tanquam ſi præſentes fuiſſent, facis ſubſcribi... Et tu exinde quæſtionem falſi poteris non immerito formidare.*

Quid autem ex his extundi poterit pro Canonicorum noſtrorum mirifica illa, & tanto ſtrepitu decantata Capitis cum Membris compagine? Da alterum hujuſmodi Capitulum aut eſſe, aut fuiſſe, & nos tibi Capitis cum Membris neceſſariam conjunctionem ultro fatebimur. Enimvero non habemus hic, niſi bene ordinatum Monaſterium; & Abbatis cum Prioribus individuam, quoad regimen, Eccleſiarum ſubjectarum conjunctionem, quod peculiaribus Ordinis illius Conſtitutionibus firmabatur.

Nihil autem hic de cerebello noſtro confingimus. Exploratum enim eſt, & inter eruditos congruit Patriarchalem Hieroſolymitanam Eccleſiam a prima ſui Inſtitutione ex Clericis Regularibus fuiſſe conflatam, quod liquet ex Cap. DILECTISSIMIS XII. Quæſt. I. præterea in eadem Eccleſia ſequentibus ſeculis obſervata fuit Regula S. Auguſtini, ut oſtendit Pennotus Lib. II. Hiſtor.

Can.

Can. Cap. 41. Quod hausit ex Cap. 58. veteris historiæ Orientalis, cujus hæc sunt verba: *Patriarchalis siquidem Ecclesia, quæ est Dominici sepulcri sub Monte Calvario Canonicos habet Regulares secundum habitum, & regulam B. Aug. viventes; habent autem Priorem, ad quem cum dictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui est illis loco Abbatis.* Quod idem testatur Philippus Novarius Lib. III. Chron. Cap. 14. *Habet insuper prædictus Patriarcha Abbates, & Priores sibi subjectos, insignia Pontificalia, baculos, & mitras, annulos, & sandalia ex privilegio dignitatis habentes, Domino Patriarchæ in ministerio reverenter assistentes.*

Quibus relatis subdit Gonzalez Comment. in Cap. NOVIT num. 4. ibid. (quod est ad eundem Patriarcham, estque ejusdem Alexandri III. & unum erat cum hoc Cap. de quo agimus, & ignoramus, cur eadem Decretalis fuerit in duas divisa) *& temporibus Godofredi, qui Hierosolymam de manibus Saracenorum recuperavit anno* 1110. *instituta seu ibi restaurata fuit Congregatio Canonicorum Dominici sepulcri, ut late refert Pennotus Lib. II. Cap. 67. Ex quibus apparet recte Alexandrum III. in præsenti decrevisse Patriarcham ipsum Hierosolymitanum caput esse, Canonicos vero S. Sepulcri membra, atque ideo illis inconsultis non debere Patriarcham Abbates, & Abbatissas in monasteriis ipsius Congregationis instituere, seu destituere, ceteraque eis disponere.* Atque ita satis credimus factum Alexandrinæ Constitutioni in duas Decretales ibidem divisæ, scilicet in Cap. NOVIT 4.

His quæ fiunt &c. & in Cap. sequens QUANTO.

3. Triariis deletis fugientes Velites nullum facessunt negotium. Et quidem infirmum est quicquid ex Paschalis II. primum, deinde ex Callixti II. Decretis in suæ Causæ patrocinium arcessit Theologus noster. Horum primus Compostellano Episcopo auctor fuit, ut *tales sibi presbyteros &c.* Quære supra: Alter, *Ut nemo interdiceret*. Ibid.

Quis non videt Paschalem ibi in Parochos digitum intendisse; dum enim meminit Presbyterorum, qui valeant Ecclesiastici regiminis onera sustinere, cumque onera ista potius, Parochi, quam Canonici, ut nude Canonici, sustineant, jam liquido constat illo affici honore Canonicos Curatos. Quænam quæso sunt onera ecclesiastici regiminis? Ego nulla alia agnosco præter illa, quæ Christus constituit, scilicet Verbi Divini prædicationem, Sacramentorum administrationem sanctæ doctrinæ præceptiones. Hæc omnia Ecclesiæ judicio sunt proprii juris Parochorum. Quod si alia Ecclesiastico regimini vel favor, vel calamitas, bono ne, an malo omine, ad splendorem, an ad perniciem (meum non est judicare) adjunxit, ut equorum, & curruum, conviviorum &c. curam, ea non invitus a Parochis ablego; sunt enim otiosæ vitæ consentanea, & a Parochorum ingenio maxime aliena.

Quoad Callixtum II. consulat semetipse Auctor noster, recognoscatque ea, quæ in I. Part. scripsit de Excommunicatione in incestuosum Corinthium ab Apostolo lata. Scimus quoque sequentibus temporibus magna cautione Ecclesiam

semper

ſemper uſam in acerrima illa ſententia Excommunicationis infligenda; etenim Clerum coadunatum cernimus, ut communi conſenſu ad executionem deveniretur; ne odium aut privatæ ultionis ſtudium ſibi aliquid in illo rigore vindicare viderentur. Explorata ſunt hæc, neque nobis ad alia properantibus moras nectere debent, maxime cum ſupra late de hoc diſputaverimus.

§. VIII.

SUMMARIUM.

1. *Burdigalenſis Concilii Sanctio non confirmat ſententiam Theologi noſtri.*
2. *Pientiſſimi Cardinalis Poli judicium quomodo, & de quibus Canonicis intelligendum.*

Pag. 98.

1. COnſentaneam Alexandrinæ Conſtitutioni, ut ipſe arbitratur, Burdigalenſis Concilii Sanctionem profert Theologus noſter edicentem: *Declarat hæc S. Synodus præcipuam in ipſis Eccleſiis auctoritatem ad Epiſcopos pertinere, eoſque conſilio, & opera Capitulorum ac Dignitatum juvari ut membrorum capiti cohærentium, & obſequentium*. Attexit deinde: *doctiſſimum* addo *& SS. Cardinalem Polum in articulis Reformat. &c.* dicentem: *Cum Canonicatus, & Præbendas in Eccleſia inſtituendi ratio, & cauſa hæc fuerit, ut qui ad eas aſſumuntur, Epiſcopo aſſiſtant, eumque in muneris ſui functione conſilio, & opera adjuvent, &*

 in

in Divinis Officiis celebrandis Ecclesiæ inserviant.

An Burdigalense, & pientissimus Polus non idem dixissent, si in sermonem de Parochis incidissent? Profecto quo majori caluissent studio, si de Parochorum electione illis ad Episcopos habenda fuisset oratio! Majora quippe Parochis præ Canonicis imponuntur onera, ad graviora, & altiora illi vocantur. Horum sit attente, & devote horas Canonicas persolvere, quod & Carthusiani & litterarum expertes cœnobiorum secretiorum familiæ peragunt, illorum ars artium, scilicet Animarum cura, est propria provincia. Si ergo, qui ad minora eliguntur munera, tantam in Episcopo ex Burdigal. & Polo diligentiam, studium, sollicitudinem excitant, quanto majorem curam, & industriam ab Episcopo Parochorum cooptatio sibi vindicabit? Si de Canonicis, qui e Poli sententia, debent Episcopum in muneris sui functione consilio, & opera juvare, tam graviter pronunciatur, quid dicendum de iis, qui in eodem onere ferendo Episcopo manus porrigunt auxiliatrices? quæ si imbecilles extiterint, jam onus totum in Episcopum recidet, & ferendo impar hic sub fasce expirabit.

Sed nisi de Curatis Canonicis Polus loquatur, desideramus in ejus verbis solitam Poli prudentiam. Dicat quanam opera Episcopum Canonici adjuvant? Loquor de regimine Ecclesiæ, extranea non moror.

At peracutus Theologus urget Burdigalensis decretum certus, quod si *præcipua* Episcopo ibi in Ecclesiæ regimine auctoritas asseritur, jam aliqua Canonicis relinquitur potestas, modo scilicet, quem

ipse

ipse supra exposuit, exercenda. Quod enim est *præcipuum*, non est solum.

2. Verum si ad has angustias res sit deducenda invocabimus Grammaticos, adibimus Lexicorum Auctores, a quibus admonebimur vocem *Præcipuum* sæpe sumi pro *Singulari*. Sic Calepinus, Facciolatus, & alii innixi testimonio Ciceronis Lib. II. ad Attic. *Quod negas præcipuum mihi ullum incommodum impendere*. Sed pudet huc esse deventum. Ceterum & Burdigal. & Polum loqui de Canonicis Animarum cura gravatis, ipsa eorum verba satis indicant. Quanam etenim opera Episcopum alias Canonici adjuvant? Grassetur pestis, morientes Episcopus pro Sacramentorum receptione Canonicis commendet: peream, si hi obtemperent; hinc videor eos audire regerentes hanc non esse suam provinciam.

Quid si peccatis nostris commerentibus huc malorum ventum est, ut sacratiora ipsa Parochorum munia Canonici quidam ut contemtibilia abhorreant? Quæ monstrosa portenta alibi hisce oculis, hisce auribus hausi! Et piget commemorare. Tunc vero mentem intendens in illud Theodosianum: *Quantum discriminis Ambrosium inter, & Nectarium!* itemque revolvens illud Terentii: *Quantum homini homo præstat*, temperare mihi non potui, quin Capituli nostri Aversani justissimas laudes & celebrarem, & prædicarem, exclamaremque: O pietas Aversani Capituli! Quantum discrimen inter hos, & Aversanos Canonicos!

Doctissimus, & quem Bibliothecam ambulantem jure dixisses, Aversani Capituli non ita pri-

dem Decanus RR. D. Ferdinandus Fabozzo, cujus memoria in benedictione est, cum Simulacrum BB. Virginis pauperrimi Conservatorii, cui a Matre Dei nomen inditum est, annuæ supplicationis stata die circumgestaretur, ipse superpelliceo, & stola indutus Parochiali Parochi vice functurus Civitatem lustrabat ante SS. imaginem nunquam sic lætus, quam dum Parochialia munia exercebat. Vir ad omnem Christianam pietatem a sua pueritia egregie comparatus. Tantum RR. Aversani Capituli decus me hîc commemorasse non pœniteat.

§. IX.

§. IX.

SUMMARIUM.

1. *An Capitulo sit aliquod jus in præmiorum largitione.*
2. *Justissime deventum ad πρᾶξιν, quæ nunc obtinet.*
3. *Mira confidentia Theologi nostri, dum in collatione Beneficiorum Curatorum urget Capituli potestatem.*
4. *Ex Constitutionibus Capitular. Aversariis sibi patitur illudi bonus Theologus noster.*

A pag. 98. ad 101.

1. EX generica differendi ratione in ipsas rerum species descendit Theologus noster, & refricans tria illa ab initio posita, quæ totam complectuntur Politiam, *præmiorum* scilicet *largitionem*, *judicia*, *&* *pœnarum irrogationem*, *quæque duo alia comprehendit Legislationem*, aggreditur demonstrare hæc ad Capitulum cum Episcopo pertinere. Expectabam hìc lugubrem ejulationem, Nostrumque se ad lacrymas excitantem exordiri cum Tragico:

Quis mea digne deflere potest
Mala? Quæ lacrymis nostris questus
Reddat aëdon?

At ille (grandis fiducia!) exultabundus suum Capitulum nobis pro Crœso obtrudit Irum, & a vetusta Ecclesiæ πράξει, qua ab Ordinatione Beneficia non sejungebantur, argumentum desumit ad ostendenda Capituli jura in præmiorum largitione.

Tunc

Tunc quippe, ait, *nullus inconsulto Clero initiabatur Ordinibus ; quod perinde erat, ac nemini ad Beneficium, sive substentationem, nisi de Cleri assensu aditum patefacere.*

Quid inde, Doctissime Vir? Cedo. Cleri nomine intelligis Capitulum. Putabam nomine illo quotquot erant de Clero designatos, atque indicatos fuisse. Pugnas ergo pro toto Ecclesiastico Cœtu. *Dicis, quod a vetusta illa non discrepat novissima hæc disciplina.* Oppositum cernimus, nam

Collecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant ; seculo premimur gravi.

Aurea disciplina illa non cadit in hodiernos mores. Difficilem in locum incidi. Imitari vellem Theologi nostri alacritatem. Sed quomodo?

Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt;
Tympana si quatiam, planctum mihi tympana reddunt.

At Alexandrina Constitutio ; at Innocentius III. a te relati? Sed vidimus quibus illi de Capitulis agant, quorum naturam velle ad nostrorum formam Capitulorum transferre, perinde esset, ac cœlum terræ miscere. Tu ipse distractam jamdudum, & abruptam Episcopi cum Canonicis communionem frequentissime memoras : nempe membra a capite divulsa, communionemque penitus deletam cernimus ipsi : & ambitio, scilicet Medea illa corpus hoc in plures, quam Absyrtum illum, dispescuit partes. Desine porro vetusta urgere, etenim : *Hæc fuerunt olim*. Quocirca clama : *Fuimus Troes.*

2. Igitur tu ingemis Canonicos deturbatos possessione. Atqui non Canonicos, qui nunquam illa in

in possessione fuerunt, sed totum Clerum spoliatum dico; nimirum caritate frigescente novam regiminis Ecclesiastici formam, necessitas ipsa non suasit modo, sed coegit omnino induci. Ecclesia namque est in caritate fundata; cui initium medium, finem regiminis dilectionem Christus constituit. Caritate ergo defervescente omnia ruere, & retro sublapsa referri debuerunt. Quid enim jucundius vetusta illa Ecclesiæ facie? Videlicet Episcopi cum suis Cleris vinculo caritatis colligati, nihil his inconsultis moliebantur. Clerici dicto audientes; hinc Presbyterorum cor unum, atque anima una, & omnis domesticis dissensionibus aditus præclusus, & nullus ambitioni locus, cum unusquisque non quæ sua, sed quæ Christi erant, quæreret; cumque singulis, & omnibus publicum commodum, & communis utilitas proposita foret, erat illa optima profecto regiminis forma.

At caritate inde imminuta, cum ambitionis, & φιλαυτίας spiritus irrepsisset in Ecclesiam, tunc superbe imperatum, tunc omnia turbata: grassanti huic perniciei boni ingemiscentes, minori malo, ut majus propulsarent, aequievere, & omnia, vel inviti, necessitate cogente a se ablegarunt, vel erepta non multum indoluere. Hinc inter Pontificem & Episcopos fuerunt initæ transactiones circa Beneficiorum collationes, institutiones, resignationes; jure ne, an injuria? Jure dico, & quidem optimo; quis alias discordiarum finis? Quodnam esset cum pace, & quiete transactum electionum negotium? Indicant id, quæ utramque paginam implent in corpore Juris Canonici tot Decretales pertinentes ad Electiones,

Re-

Resignationes, Permutationes, Simoniam, ubi est clarissimum argumentum nullibi magis, quam in his peccatum fuisse.

Scimus omnes quot clamoribus, contentionibusque singulæ ferme civitates personuere, cum ad Vicarii Capitularis electionem fuerit deveniendum. Nimirum ultimos regni fines prætergressi exterorum tenus rumores illi caluerunt. Scimus etiam cursitatum per Regia Tribunalia, nec non & implorata potentium in aula patrocinia: audivimus lamentabiles una contendentium ejulatus, quiritantiumque ingentem sibi auri vim periisse. Et quidnam magni in quæstionem adducebatur? Ecquinam victoris fructus? Ολιγοχρονιος (momentaneus) dux, qui dum se expedit, dum cursores vocat, dum Monialium (humanissimum genus, & victori, quicunque ille sit, plaudere paratum) gratulationes excipit, abit dies, odiumque sui in novum conflat Episcopum.

At finge electionem Episcopi ad Capitulum spectare; Deus immortalis! tantæ innecterentur moræ? tantæ objicerentur exceptiones? totumque ageretur negotium adeo discordibus studiis, ut nullo profecto civitas potiretur Episcopo? Hoc non adeo ingens malum; deterius illud esset, quod Cannensis cladis exempla renovata cernerentur; quæ perpensa a nobis efficiunt, ut libenter, imo hilari animo in præsenti Ecclesiastici regiminis forma conquiescamus, nilque ultra quæramus; quandoquidem experientia Magistra didicimus, quam gravis sit, quam tristis, & intolerabilis, quæ nobis a nostris irrogatur æqualibus injuria: contra ea quam æquo animo quicquid ab Antistite nostro de nobis decernitur sustineamus.

3.

3. Agnoſcit Noſter (& quis non agnoscit ?) Episcopos Simplicium Beneficiorum collationem ad ſe traxiſſe. Verum addit: *In Beneficiis, quibus Animarum cura eſt adnexa, adhuc Capituli jura intacta manere.*

Quænam jura quæſo? Scilicet *Examinatorum Synodalium electio, quæ niſi Capitulo probante nullam habebit firmitatem.* Teneo; atqui Examinatores illi, qui non ſunt de Capitulo (poſſunt enim ex Regularibus aſſumi) judicium ferent de Parochiæ collatione inſcio, vel invito Capitulo; imo, ut rectius loquar, Epiſcopus inſciis, vel invitis ipſis Examinatoribus, Parochiale conferet Beneficium, cum nihil aliud Examinatoribus ſit relictum, niſi approbatos Epiſcopo præſentare, ex quibus Epiſcopus, quem volet, eliget. Quid, obſecro, collationi Curatorum Beneficiorum cum nuda illa Examinatorum approbatione?

Præterea: pone Epiſcopum male animatum in illo periculoſæ aleæ negotio errare: finge lupum pro paſtore ovibus præpoſitum, hærebit ne aliqua exinde in Capitulo labes? Nulla profecto. Cur? Quia nullus Capituli in electionem illam influxus. Eſt ergo hoc Noſtri felix ſomnium ſimile illi, quod paulo ante eidem alacris immiſerat φανταϲὶα profecta ex Gloſſa *clamante: Canonicatuum in Eccleſiis Cathedralibus collationem ad Epiſcopum & Capitulum ſpectare.* Hoc quidem olim. At nunc?

4. Verum ipſe addit, ſe olfacere aliquid hujuſmodi in Capituli Averſani Conſtitutionibus anno 1603. editis Bernardino Morra Antiſtite. Ibi Cap. VII. ubi DE QUALITATE RECIPIENDORUM

aurea

aurea hæc habetur præceptio: *Quia omnis Dignitas in eorum, qui cooptantur, qualitate nititur, accurate cavendum est, ne promiscue omnes, sed certi homines cum doctrina, tum morum integritate præstantes, quoad fieri poterit, deligantur, qui onus sustinere pro dignitate valeant.*

Quid nempe, exclamat Noster, *attinebat Capitularibus Constitutionibus hoc caput infercire, si ad unum Episcopum pertineret Canonicorum delectus?*

O magne Vir sic tibi illudi facile pateris? At ecquando Aversani antistites non dico Canonicorum consilium in novorum optione expetivisse, sed ecquando scire datum Canonicis quem in fratrum suorum numerum accipere deberent? At quid membranam occupat caput illud? Noveris Episcopum sibimetipsi egregiam ibi dare præceptionem. Lege & relege omnes Synodos, quam multa hujusmodi occurrent!

Sic habe: Nihil ex veteri Ecclesiæ disciplina quoad beneficia pro Canonicis tibi vindica, quia Clerus non constabat ex Canonicis, quales hodie habemus. Ignoti tunc hi Canonici. Totus ergo Clerus jure illo potiebatur. Nihil ex recenti disciplina. Id liquido constat ex Tridentino, cujus infra longa mentio, & clara demonstratio non fuisse veteris presbyterii jura in nostros Canonicos transfusa.

Quod si penitus animo insedit tuo periodus illa Capitular. Constitut. adspice Synodum nostram, ubi de Canonicis: hîc cernes hos, quos vocas Consiliarios Episcopi, & in quos rerum summam, baculo fortasse excepto [nam mitram

jam

jam cernimus] transfusam contendis, non posse, nisi consulto Episcopo sacristam unum loco movere, quod magni imperii specimen recte dixeris. Taceo, quod si pro cujuscunque rei deliberatione Capitularis Canonicorum Congregatio sit habenda, id valde grave foret; nam vel ab Episcopo hujusmodi facultas esset indulgenda, & esset hoc tolerabile; at si a Vicario Generali, ut ibi decernitur, quantum non ferendum, nisi exinde vim Canonicorum arguas, qui ipsi Episcopo sint terriculamento.

§. X.

§. X.

SUMMARIUM.

1. *Perperam Theologus noster Clerum, de quo in inflictione pœnarum jura meminere, ad solos Canonicos coarctat.*
2. *Rursus ex spiritu Ecclesiæ, & ineluctabili ratione evincitur Parochos longe eminere supra Canonicos.*
3. *Præscriptionibus inter se pugnantes Episcopi, & Canonici satis declarant, quantum fuerit a primævo Ecclesiæ spiritu discessum, & quanta exinde Parochorum gratia.*

A pag. 101. ad 104.

1. URget aliud Caput, quod est DE JUDICIIS, PŒNARUMQUE INFLICTIONE doctissimus Noster: invocat Africanum Canonem edicentem: *Nullius causam, nisi Clero præsente ab Episcopo audiendam*. Addit, *similia constare ex Decretalium jure. Præscribit enim, ut Episcopi de criminalibus causis non cognoscant, nisi coram senioribus Ecclesiæ*. Iterum Alexandrinam tam magnifice supra commemoratam adducit constitutionem. Subiicit *Romanos Pontifices idem semper ursisse, Disciplinæ sollicitos, scilicet ut omnia de fratrum peragantur consilio, satis persuasos sapientiam in consilio habitare, ac nemini propriæ prudentiæ innitendum*. Exclamat [& optime] *quam sanctæ Præceptiones istæ,*

quibus

quibus concordia caput inter & membra per belle fovetur .

2. Pergebam securus, sed hæc ultimá verba quasi injecta manu me retinent, & tanquam non satis supra fuisset demortuæ Parochorum conditioni parentatum, luctum instaurant, cum Noster vetusti Presbyterii jura in Canonicos exclusis Parochis transfusa contendat. Ergo ne inspecta hodíerna Ecclesiastici regiminis forma abscissa omnino membra sunt Parochi? Nulla ne concordia Episcopum inter, & Parochos? Soli Canonici gaudere illa prærogativa debebunt? Scilicet ut *lupis, & agnis quanta sortito obtigit*, tanta Episcopo, & Parochis discordia est.

At dum ex vetustis recentia argumentari volumus, id in primís videndum, num substantialis intercesserit mutatio, quæ paritatem ire non sinat, & illationem ex consequenti abrumpat. Ecce tota vis argumentationis in eo stat: *Quod clament iura cognoscendum de criminalibus coram Senioribus, quod Episcopi non debeant relictis membris aliorum consilio in Ecclesiæ negotiis uti, quod omnia de fratrum peragantur consilio* .

Theologus noster SENIORES illos vult esse Canonicos, Canonicos vult esse MEMBRA Episcopi, FRATRES ejusdem Episcopi vult esse Canonicos; nec videt *Seniores* illos esse Parochos, cum tunc omnino ignota Canonicorum, prout hodie accipitur, esset conditio; nec cernit quosnam Alexandrina Constitutio vocet membra Episcopi [de his fuse nos supra] nec advertit nomine Fratrum intelligi Curatos, sive illi Canonici, sive Parochi sint, & ab uno sensu ad alte-

rum gradum faciens excurrit ad Canonicos nostros, qui toto cælo distant ab illis, & in hos Canonicos nostros confert quæcumque Senioribus, Membris, & Fratribus Episcoporum jura tribuunt. Neque hucusque id voluit Noster advertere, nec unquam demonstravit quomodo tanto post tempore exorti quales videmus Canonici possint ad se trahere, quæ de aliis dicta fuere.

Dic, obsecro, in quo nostri Canonici possint Episcopi membra censeri? Ego cum dico EPISCOPUM, intelligo Doctorem, intelligo Evangelii Tubam, Præconem, justitiæ Hortatorem, & Sectatorem bonorum operum, Pastorem, qui paratus sit pro ovibus suis animam ponere; quæro hujus membra. Obtrudis mihi homines, ad quorum unum si nocte intempesta accesseris tres panes, aut unum rogaturus, sævissimas ille excitabit tragœdias. Si doceri cupiveris, si puerum fidei rudimentis imbuendum adduxeris, si Sacramenta petieris, ne tu ineptissimus, qui contendis? Caput illa debet pro suis membra agnoscere, quæ strenuam ipsi in munere suo operam præstant. Cum autem ad Parochos ex vi muneris sui ea omnia spectent, sintque illi in his Episcopali gradui eo, quo strictius excogitari nequit, vinculo illigati, tanti muneris participes jure primum illis post Episcopum dandum locum supra ceteros omnes de Clero non invitus fateberis. Non ab equis, & curribus, non a comitatu, ac conviviis Episcopum spectamus, sed ab Evangelico illum jugo metimur, a Sacerdotis magni, magnique Pastoris partibus æstimamus; hinc eum, qui sit illi maxime in his conjunctus prædicabimus, mirabimurque, illius capitis

pitis membrum, illius fratrem agnoſcemus omnino. Proinde quantum ſupra terram eminet cœlum, tantum ſupra eos, qui de Capitulo sunt, extolli Parochum juſtiſſime dixeris.

Inferes rectiſſime Canonicos, ex quo deſierunt eſſe curati, non amplius habendos quoad Eccleſiaſticum regimen Epiſcopi membra: varias pro temporum varietate ſubeat Diſciplina viciſſitudines; immobile tamen, & omnino immutabile erit, quod eſſentiam Eccleſiaſtici regiminis, & Sacerdotii naturam conſtituit. Quomodo ergo feres Theologum noſtrum in alia omnia diſcedentem, & ſua deſtruentem? Confer, quæ de Animarum cura egregie diſputaverat, cum his, quæ habet hîc; *Canonici*, ait, *Animarum curandarum ſunt onere levati*; aſt quid aliud hoc, niſi gradu excidiſſe? Quid monſtri obtrudit, dum contendit Canonicatum ſimplex utique beneficium, ut ipſe fatetur, præstare Curato? Ergo ne oves in Paſtorem virgam arripient? Difficile eſt Satyram non ſcribere.

3. Antequam hinc diſcedamus, non erit inutile tantiſper immorari in his, quæ Noſter ipſe gemebundus innuit: *Epiſcopos ſcilicet inter, & Canonicos acerrime pugnatum, nempe quando in iſthæc ſacra collegia peſtifera pervaſit ambitio. Tunc enim diſſociatis animis ſolidam juriſdictionem utraque pars ad ſe corripere, & totam complecti probroſe tentavit.*

Et in hoc Canonicorum imprudentia ſe prodidit. Ignotum ipſis conſilium Sapientis: *Ne contendas cum potentiore te.* Concertationem quisnam vidiſſet iniquius comparatam? Quid miſeri Canonici contra Epiſcopalem potentiam? His de

dimenso vivendum. Ecce fratrum filii nudipedes, filiæ maritos exposcentes, sorores male calceatæ, domus mœror, & turpis egestas, fortia ne suppeditabant arma, quibus pugnam tantam possent pugnare? Sed paulo infra ostendemus justissime se in hoc Episcopos gessisse.

Subdit Noster: *Quod Episcopi in Jure Ecclesiastico dicundo, criminibusque coercendis ab suo consortio paulatim Canonicos segregantes nunquam denique constitere, donec eos omnino de Tribunali repulerint*. Affert Fagnanum id refundentem in Canonicorum ignorantiam.

Displicet hæc macula Canonicis inusta, & miror lenitatem Nostri Fagnano parcentis, nec unum quidem pro Canonicis verbum facientis. Ego autem cum maximi habeam Canonicos nostros, omnique honore dignos existimem, Fagnanum sic impune dimittendum non arbitror. Ergo non Canonicorum ignorantiæ id tribuendum, sed in paupertatem Canonicorum, & in duritiem consanguineorum refundendum dico; qui consanguinei oculum sibi potius erui, quam nummulum de corbona extrahi patiuntur, & lites, quæ suorum successoribus prodesse poterunt, abhorrent. Alio quippe ardore pugnamus pro domo nostra, quam pro Parochia nos Parochi, vel pro æde Capituli, vos Canonici: unde fit, ut segnes semper evadamus, ubi arma sumere debemus pro Parochiali, vel Capitulari aliquo jure, præsertim si pro nugis pugnandum sit, cum nostra nostris transmittamus; Præbendas, & Parochiales reditus precario, & in dies possideamus; dumque cernimus alios ætatis nostræ annos numerantes invadere paratos locum, de quo nos propediem mors

de-

desturbabit, nescio quomodo ira exardescimus in ipsa, quæ possidemus; tantum abest, ut jura, & accessiones nostris velimus invisis augere successoribus. Hæ causæ, non ignorantia Canonicorum.

Et hæc quidem prout vulgaribus efferuntur sermonibus, disputavimus. Ceterum si verum amamus, dicemus nullam justæ querimoniæ caussam despoliatum Presbyterium afferre posse, nec clamare illiberaliter secum actum. Quid enim aliud Episcopi fecerunt, nisi ut rivulum illum auctoritatis, qui in memoratos Presbyteros excurrerat, ad fontem suum Episcopalis scilicet plenitudinem potestatis revocarent? cum satis constet gratis jura illa in Presbyteros ab Episcopis collata, quæ justa deinde urgente ratione necessitas ipsa auferri non suaserit modo, sed & coegerit.

Absolvit totum hoc de JUDICIIS, ET PŒNARUM INFLICTIONE negotium Clarissimus Noster singularibus illis verbis: *Si vera sunt, quæ hic oggerit Fagnanus ignorantiæ Canonicos postulans, in Episcopos recidit culpa, quos vehemens suspicio gravat, doli mali, perinde ac si eo consilio ignaros Capitulo adlegerint, ut solitarie ipsi rem gererent, secluso Canonicorum consortio.*

At quid diceres, si ea Capituli alicujus natura sit, & conditio, talis ab initio posita compago, & structura, ut nulla possint ratione contra Episcopum (quod avertat Deus) quomodolibet insanientem hiscere Canonici. Sic comparatum est cum Aversano Capitulo, quod infra evidentissime demonstrabimus. Utinam domestica non fuissem id calamitate edoctus.

Sed quid, prudentissime Vir, ex hac lugubri consideratione pro Canonicis evicimus? Audivimus Cleri jura: at totum Clerum non conflant soli Canonici, sensimus Seniores commemoratos, sed insiciaberis hoc nomine Parochos cohonestandos? Profecto in hos magis, quam in Canonicos honorifica illa cadit nominis acceptio. Si de re, ut veritas postulat, decernere velimus, hoc imprimis in animum nobis inducere debemus: Canonicos, ex quo decoxerunt, h. e. vel suadente desidia, & mollioris vitæ genere capti, vel periculo deterriti, Animarum curam a se abjecerunt, nihil prorsus ex vetusti illius Presbyterii juribus sibi posse vindicare. Presbyterium illud totum quantum erat, unice Animarum saluti, non suis commodis inserviebat. Qui ergo eamdem nunc viam terunt, qui ex vi muneris sui idipsum agere debent omnino, hi nullo dubio Presbyterii illius successores censendi sunt. Et licet nunc alia prorsus regiminis Ecclesiastici sit facies, & unus sit magister noster Episcopus, nullamque idcirco de hoc movere debeamus quæstionem, attamen *si Relliquias Danaum, ac immitis Achillis* quærere velimus, has umbratili, & expirante quadam ratione in Parochis debemus agnoscere.

Et profecto nunquam ab his turbatum. Hi sub Episcopo, quæ sua erant, impigre exequebantur; nullus discordiis aditus: omnia summa pace transigebantur: modestissimi illi Sacerdotes aliis detinebantur studiis: Verbi Divini prædicatio, instructio plebium, Sacramentorum administratio, Populorum salus totos occupabant. Utinam his stetisset semper res Christiana institutis.

§. XI.

§. XI.

SUMMARIUM.

1. *Quæcumque splendida, & magna de Canonicis Theologus noster prædicat, Tridentini auctoritate exsufflantur.*
2. *Luculentius Parochorum dignitas elucescit.*

Pagg. iisdem.

1. DEsertorem me ferme susceptæ justæ causæ feccrat divina Theologi mei eloquentia, cujus

Addidit invalidæ robur facundia causæ.

Commotus sum, dum ipsum audivi flebiliter deplorantem Canonicos de Tribunali deturbatos. Visus sum & ipse illorum vicem dolere. At nunc me colligo, idque in primis curo, ne injuriosus, & blasphemus audiam.

Profecto, quæ peculiares Episcopi vel sua facilitate, & miti ingenio de suo jure decedentes Canonicis indulserunt, vel hi illorum favente oscitantia sibi arrogarunt, non sunt hujusmodi, ut nos, vel pro Episcopis, vel pro Canonicis sententiam universim dicere cogant. Quando enim aliquorum facta, vel dicta normam regulamque universitati præscripsere? Solius Ecclesiæ vis, & potestas illa est, ut omnes dictis audientes reddat, nisi prævaricatoribus, & iniquis velint contradicentes accenseri.

Ergo sepositis consuetudinibus, quarum nonnisi

vitiosissimi potuerunt esse natales, peculiariumque Synodorum, quæ intemperiæ quandoque dictarunt, Statutis, totam hanc Canonicorum causam ad S. C. Tridentini normam exigamus, inquirentes, an ex hujus sententia stare queant magna illa, & splendida, quæ in Canonicos confert doctissimus Noster. Justum profecto judicium, æqua hæc postulatio. Ecquis enim opinabitur Ecclesiam se injuste gessisse? Innoxios spoliasse? Video interim pientissimam matrem totam in Canonicorum correptionem incubuisse. Altum de Parochis silentium, evidentissimum argumentum non ab his, sed peccatum ab illis: imo dicendum Canonicos, ex quo Canonici, ut nunc sunt, esse cœperunt, nunquam talibus juribus præditos fuisse. En sensum Ecclesiæ de Canonicis.

Tridentinum Sess. VI. Cap. III. Refor. vult *Excessus subditorum quocumque sint illi privilegio muniti inquiri, corrigi, puniri ab Ordinario loci*. Nullum hic olfacio capituli, vel seniorum, quicumque sint illi, ne remotum quidem influxum.

Ibidem cap. IV. *Capitula Cathedralium nullis exceptionibus, consuetudinibus, sententiis tueri se possint, quominus a suis Episcopis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis toties quoties opus fuerit visitari, corrigi, emendari!*

Hem! *Per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur &c.*? Fortassis non mirum; nam agitur de toto capitulo, & judices de gremio capituli in ipsum capitulum vocare id certe non congruum, non æquum. At nullo pacto; namque agitur

agitur non solum de Capitulis collective sumtis, sed & de singulis Canonicis. Verba Concilii sunt: *Capitula, illorumque Personæ.*

Solus Episcopus memoratur, ejusque licentia, ubi Sess. 25. cap. 3. de Reg. agitur de novis Monasteriis erigendis, altum de capitulo silentium; consilium, vel consensus hujus ne nominatur quidem.

Ibidem cap. IV. de Reform. ubi Missæ sunt ob nimium numerum redigendæ ad pauciores, traditur Episcopis facultas id agendi, sed in synodo Diœcesana. Hic videbantur omnino commemorandi Canonici. Eget Episcopus in re tanta consilii. Consiliarii adsunt scilicet Canonici. Rejiciuntur. Deveniendum vero ad synodum.

Tristis lectio Canonicis nostris se objicit ex cap. VI. ibidem. Multa dicta erant de capitulis, sed omnia hac coronide clauduntur: *Hæc autem omnia, & singula in iis Ecclesiis locum non habeant, in quibus Episcopi, & eorum Vicarii ex constitutionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus, sive concordiis, seu quocumque alio jure majorem habent potestatem, auctoritatem, ac jurisdictionem, quam præsenti decreto sit comprehensum, quibus Sancta Synodus derogare non intendit.*

At agimus de capitulis exemtis, quæ sic male habentur? I nunc, & vetusti Presbyterii jura in Canonicos transfusa recense. Quam tristis illa Vicarii mentio! Quid si mitratum me Canoni*cum pyris vesci Calaber jubet hospes?* At Vicarius est. Est parere necesse.

Cap. X.

Cap. X. ibid. edicitur designandos a Synodo judices, qui delegentur a Sede Apostolica, & videbantur omnino constituendi Canonici. At non constituuntur. Sivissent boni Patres Tridentini Canonicos hac honoris umbra potiri.

Sed omnem exsuperat fidem, quod Cap. XII. statuitur: *Scilicet, ut Episcopis, & Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, omnes, & singuli pro caritate Christiana, debitoque erga Pastores suos munere de bonis sibi a Deo collatis large subveniant, idque ad Dignitatem tuendam Pastorum suorum, qui pro eis invigilant.*

At ubi Canonici? Prætermittuntur ut non necessarii. Una classe, uno ordine Episcopi, & Parochi censentur: sunt PASTORES, *Præsunt*: *eorum* DIGNITATEM tueri debent populi: nihil medium, interjacens nihil Episcopum inter, & Parochos.

Non modicam quoque maculam Canonicorum splendori offusam cerno ibid. Cap. IV. ubi præscribitur ratio procedendi contra clericos concubinarios: præcipit S. Synodus, *ut cognitio non ad Archidiaconos, non ad Decanos, sed ad Episcopos pertineat.* Subsistamus hic; verum nimis est, quod Noster præmonuit Canonicos de tribunali deturbatos, scilicet in quod (ego addo) vel nunquam, vel injuste ascenderant.

2. Maxima Parochorum dignitas hic se luculentius exerit, cui omnia decora vi sua, suaque intrinseca conditione ita inhærent, ut nullo potuerint furoris hostilis turbine concuti, nulla temporum vicissitudine labefactari, nullo infuscari li-

livore. Integra sunt his quæcumque Christus ipse in Discipulorum tribuit personis.

Obiter quoque adverto (quod non in infimam justæ Parochorum laudationis partem vocabis) quod cum pientissimi posteriorum seculorum scriptores concordibus animis in Canonicorum desidiam, superbiam, avaritiam insurgant, & vel leni, & lamentabili, vel acri, & concitato stylo maxima ex non omnino integra Canonicorum vivendi ratione in Christianas plebes emergentia mala commemorent, altum illis est de Parochis silentium: argumentum evidentissimum, pulcherrime his operam suam stetisse, eosque pro virili arduo muneri suo adlaborasse.

§. XII.

§. XII.

SUMMARIUM.

1. *Theologus noster egregius sui ipsius confutator.*
2. *Occasione Synodorum, de quibus late hic Theologus noster, demonstratur, quanta se circumvenerint censura Canonici, dum Animarum curam abjecerunt; idque ratione, & Tridentini auctoritate evidentissime evincitur. Quanta Parochis ex horum consideratione dignitatis accessio.*

A pag. 104. ad 113.

1. MAgnus plane Vir Theologus noster, quocum redeamus in gratiam necesse est. Lusimus hactenus, pag. 111. in fine habet: *Hanc porro disceptationem concludamus verbis doctissimi Gersonis consid. XII. qui licet jus suffragii decisivi in Conciliis minoribus etiam Prælatis asserat, quales sunt Curati, & Hierarchæ* [erant olim tales Presbyteri omnes] *sic suam sententiam egregie temperandam censet: Dicamus postremo, quod licet ea, quæ statim dicta sunt, consonare videantur juri Divino, & observationi priorum Conciliorum, & rationi; nihilominus Concilium potest certis de causis, & ad tempus constituere voces definitivas in pluribus, vel paucioribus.*

Non est animus mihi, quæcumque hic Gersonius affert, probare. Ex dictis supra evidentissime

ſime eſt confirmatum: ſimplices presbyteros nunquam ſuffragii definitivi jure in Fidei controverſiis fuiſſe potitos. Et Gerſonii doctrina ſibi non cohæret; ſi enim juri Divino, & obſervationi priorum Conciliorum, & rationi conſonum ſit presbyteros ea prærogativa gaudere, quomodo illa poterunt per concilia ſpoliari? Quæ enim cauſa tam juſta, & efficax eſſe poterit, quæ jus Divinum, conſtantem univerſalis Eccleſiæ usum, & ipſam rationem abrumpat, perdat, evertat. Sed ad mentem Theologi noſtri rem hanc tranſigi volo.

Fateris (ipſum alloquor) quod Curati ſunt Prælati minores, & Hierarchæ. Dicis, quod erant olim tales omnes presbyteri. Ergo Presbyterium illud ſoli conflabant Curati. Dum ergo pro Presbyterio pugnavimus, pro Parochis ego, & tu arma tulimus. Novum, & adſcitum Canonicorum genus fuit: non mediocriter ab illis in Eccleſia turbatum. Tu ipſe hos diſcordiæ, & ambitionis extuliſſe vexillum commemoras; per hos ſanctiſſimam pulcherrimamque ſocietatem diſciſſam ingemis. *Cum Canonici* (tua verba ſunt pag. 110.) *ſe ſe Epiſcopis immorigeros, & contumaces præſtare cœpiſſent, exemtiones affectare, ac liberiorem vivendi rationem inire &c.* Quomodo Presbyterii jura in his hæſiſſe dicemus? Animarum curam, vel abjicientes, vel ipſa ſe levari permittentes, non ſe ad ovium conditionem demiſere? Oves ergo ſe nunc Canonici hi agnoſcant, audiantque fidum Paſtorem clamantem:

Parcite oves nimium procedere, non bene ripæ
Creditur.

2.Fu-

2. Fusissime totam hanc de synodis disputationem exequitur Noster. Multa nos supra præoccupavimus. Urget in primis ille Canonicorum (satius dixisset presbyterorum) in conciliis sive provincialibus, sive diœcesanis subscriptiones: affert BENEDICTUM XIV. id non diffitentem longo edito Synodorum, quibus presbyteri subscripsere, catalogo. Verum Exorcistæ subscripti hæc non eo, quo vult Theologus noster, sensu accipienda luculentissime indicant.

Quando autem negavimus nos presbyteros, vel habere, vel unquam habuisse jus suffragii decisivi in Fidei Controversiis; non venit nobis in mentem jus illud idcirco denegandum presbyteris, ne in Aerii insaniam declinemus. Hoc neque diximus, neque dicemus, cum etiamsi verum esset presbyteris jus illud competere, adhuc sat longo intervallo ab Episcopali eminentia illorum distaret dignitas, Catholicæque veritati suum staret robur jure divino Episcopos presbyteris anteire statuenti. Id ex eo arcessivimus, quia soli Apostoli, quorum vices modo, quem supra posuimus, Episcopi gerunt, Fidei testes a Domino positi fuerunt. Hi proprie & primario sub Summo Hierarcha ad regendam Ecclesiam a Spiritu S. admoti fuerunt.

Cum vero Sacerdotes curati (sive Canonici, sive Parochi vocentur) in sollicitudinis partem ab Episcopis adsciscantur, decurratque in hos ab ipsa Episcopalis potestatis plenitudine profectus jurisdictionis rivus non exiguus, his (ut ad rem veniamus) locus in Synodis dandus. Et profecto si disciplinæ consulendum, si abusus corrigendi, quosnam potius exquires, nisi illos, qui gregem

de

de facie noſcunt, qui irrepentes licentias, priuſquam erumpant, ſagaciſſime olſaciunt, qui populos intus, & in cute pleniſſime callent; ad quos, ut legitimos probatoſque paſtores, ſpectat oves ad ſalubria pabula ducere, & quorum propria provincia eſt, ea longe, lateque amovere, & avertere, quæ animabus ad æternam ſalutem properantibus impedimento eſſe queant. Uno verbo: quorum eſt videre, ne quid detrimenti res Chriſtiana capiat.

Ego pro comperto habeo Capitula illa, quæ ad synodos vocata commemorantur, animarum curam adnexam habuiſſe, nec aliam, dum neglecta ſunt, querelæ juſtam proferre potuiſſe rationem, niſi hanc, nempe quod paſtores, rectoreſque populorum (quod nefas eſſet) excluderentur. Niſi hoc se clypeo muniiſſent, non adeo faciles votiſque ſuis obſecundantes experti fuiſſent Canonici illi summos Pontifices.

Porro cum diſciplinæ ſtudium, morumque correptio ſit synodorum diœceſanarum ſcopus, cumque illi legitime corrigendi munus in iis capeſſant, qui moribus ipſi incorruptis ornantur, apparet hinc nulli Eccleſiaſtico Ordini melius, quam Parochis aditum in synodis patere, quibus Parochis ex vi muneris ſui eſt ſingularis probitatis indicta neceſſitas; abſit invidia verbo, nullus inani gloriæ locus. Dic ſodes, nonne monſtri loco habebis imperitum, vecordem, impium Parochum? Quantum exinde Eccleſiaſtico decori detrimentum! Quæ labes! Quanta in publica commoda pernicies! Quodnam populi ſcandalum! Hui! Magiſter, qui nec inter diſcipulos honeſto poſſit eſſe loco! Otioſus & dormitans in ipſo cer-

certamine signifer! pro infatuatum salem! lupum pro pastore! cæcum pro ductore! quot clamoribus ædes, forum, templa ipsa personarent!

Finge, quod absit, ineptum presbyterum inter Canonicos referri. Nihil turbatum domi, nihil in Ecclesia inconcinni, & extraordinarii video. Tacebit ille ex Salomonis consilio, & pro sapiente reputabitur; nulla enim illi est loquendi injecta necessitas, neque ex ambone, neque ex altari eum Divini Verbi præconem muneris ratio postulat. Peccet (quod Deus avertat); nocturnis virorum, & mulierum confabulantium cœtibus se immisceat, morosis exinde delectationibus fœdatus domum revertatur; hic sacro se mane abstinebit, qui emissitiis observatorum oculis non patebit, nullique actuum suorum rationem reddet. Absit, vel adsit Choro, perinde est; nec hilum quidem ex ejus absentia Choro decedit. Quid enim, si octo, quid si septem psallant? At expende hæc in Parocho.

Jure ergo Tridentinum Sess. XXIV. Cap. II. Reform. omnes animarum curam habentes diœcesanis synodis cogit adesse; & nota illa verba: *Quicumque sint*, & rationem affert; *quia animarum curam habent*. Hoc adeo verum est, ut si nonnulla sublimia, & splendida Canonicis tribuantur, tum in vetustioribus, tum in Tridentino ipso Concilio; ut si *Doctores* audis, *Magistros* in Theologia, *Licentiatos* in Jure Canonico, scias id totum animarum curæ Canonicatibus adhærescenti tribuendum. Hæc postulat, ut Canonici Ecclesiæ Senatus dici possint; hæc Consiliarios Episcopi efficit; hujus vi super alios omnes de Clero jure eminent.

Ne id gratis a me obtrudi dicas, adi ipsum Tridentinum Sess. XXIV. Cap. 12. Ref. *Cum Dignitates* [sunt verba Tridentini] *in Ecclesiis præsertim Cathedralibus ad conservandam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera, & officio juvarent; merito, qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint.*

Sed de quibus dignitatibus loquitur? In quas quæso dignitates tam magna, tam illustria Concilii verba diriguntur? An idipsum de omnibus Canonicatibus prædicabimus? Nullo pacto. Apertissime se explicat Concilium; subdit enim illico: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem XXV. suæ ætatis annum attigerit, & in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur.*

Profecto magnum quid importat illa animarum cura, vides *Doctrinam* requisitam *ad suum munus* exequendum; vides *morum integritatem*; qui ad has dignitates aditum sibi moliuntur, vult S. Synodus, ut ubi fieri potest, sint magistri in Theologia, seu doctores, aut licentiati in Jure Canonico.

Quid autem si nulla sit adnexa animarum cura? Nihil hujusmodi. Alia longe ratio horum Canonicatuum: En verba Concilii: *Ad ceteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin ido-*

 nei,

nei, *&* XXII. *annis non minores adsciscantur*.

Non postularem quid amplius ab illis, qui essent minoribus Ordinibus initiandi. At cur non aliquid amplius ab illis Canonicis? Scilicet quia non sunt *Animarum cura* conspicui. Non instituti ad *conservandam*, *augendamque ecclesiasticam disciplinam*; *non ad juvandum Episcopos opera*, *&* *officio*: eorum partes, & munera sunt Domino statis horis psallere. Nullum præterea vi Canonicatus ipsis onus imponitur.

§. XIII.

§. XIII.

SUMMARIUM.

1. *Habita Vicarii Capitularis mentione inquiritur, an ex hac decantata illa Capitulorum jura firmentur.*
2. *Adimitur larva, & solæ nugæ patent.*

A pag. 112. ad 113.

1. VIx, imo ne vix quidem, verbis exprimi potest, quantam imperitorum oculis offundat caliginem, in quantum illos vertat stuporem sollemnis hæc per Canonicos Vicarii, quem Capitularem vocant, electio. In ipsius majestatis arcem tunc invasisse Canonicos arbitratur popellus, & magnam exinde eorum amplitudinem Theologus noster nobis objicit mirandam, cum ad eos, Episcopo e medio abeunte, Ecclesiæ tota, quanta est, devolvatur procuratio. Ad tantam celsitudinem rite, recteque nos præparaverat, significans, monensque qualem, quantamque Canonicorum necesse omnino sit esse virtutem, cum in eos Episcopalis sarcina sit transferenda. Hinc sapientissime a majoribus constitutum affirmat, ut ad Canonicos, vita persuncto Episcopo, pastoralis cura abiret, quippe qui diuturna cum Episcopo consuetudine ad pastorale munus tam probe informati censendi sunt, ut illis difficile non sit Episcopos agere, manumque ad Ecclesiæ clavum admovere citra ullum gregis discrimen.

Jure obstupescimus & ipsi hæc audientes, talem, imo majorem omnibus inesse Canonicis

virtutem credimus, vel optamus. Episcopum tamen non esse intra illas angustias coarctandum credideram, ut a Canonicis suis consilia necessario exquirat. Arbitrabar posse aliunde sibi consulere. Et contra Canonicos videbam ubique in hoc præscriptum, & consuetudinem, quam Episcopus allegat: *Quod in inquirendis, puniendis, corrigendis subditorum suorum excessibus consilium Capituli sui minime teneatur requirere, non esse reprobandam* Bonifacius VIII. me docuerat *Cap.* NON EST *Consuet. in 6.*

Pergamus: *Episcopo ad plures abeunte* (sunt verba Theologi nostri) *Episcopalis solida jurisdictio, atque Ecclesiæ gubernatio recta in Capitulum pleno jure concurrit.*

Egregie! Consistamus hîc, & ne tria verba inter Nos commutemus, amicabili, [quod jura probant] compositione rem transigamus. Sciscitor, an Sede vacante Canonici possint in communi Ecclesiam regere? Utique negabis, cum districtissime cautum sit quantocius eligendum Vicarium, in quem omnis auctoritas conferatur. Nihil ergo Canonici moliri poterunt? Nihil omnino. Non ergo recidit in eos sarcina illa, cui ferendæ tantum virium comparavimus? Sunt immunes; est Capitulum *gens felix, & libera legum* regiminis. Dic oro: an constituto jam Vicario, possint reliqui Canonici procurationi Ecclesiæ aliqua ex parte se immiscere? Vicarii judicia, sententias, decreta in examen vocare? Non possunt hiscere contra, quia tota jurisdictio est penes illum Vicarium.

Audio; at cum in unum Capitularium sors illa sit casura, decet, ut omnes oneri ferendo pares

sint?

sint'? Nequaquam; quia potest alius non Capitularis eligi in Vicarium. Et tunc quid de Canonicis? Altum silentium; nullo sunt loco.

O rem miserrimam, & deflendam! Tam male igitur audiere Canonici, ut illis saltem per orbem habenas moderari sit interdictum, sed statim ad unius electionem sit deveniendum? Quærendus subito magister, ne discipuli tumultuentur; dux inveniendus, ne gregarii milites in mutua corruant vulnera. Non ergo in hos vetusti Presbyterii jura dicam transfusa. Quid enim æquius, quid rationi magis consentaneum, quam in commune collatis in unum consiliis, viribus junctis, animisque sociatis strenue, quæ instant, expedire? Sic vetusto illi presbyterio comparatum; hi apud ipsum mores; hæc agendi ratio.

2. At jurisdictio tota est radicaliter penes Capitulum. Ab hoc illam accipit Vicarius. Hoc profecto auditu magnum quid sonare videtur; sed si ad rationis lancem expendas meras nugas deprehendes, & Ixionem nubem pro Junone amplectentem. Sciscitor, quid illa radicalis jurisdictio? Erumpet ne in actum? Scilicet in hunc unum, ut ad electionem concurrat. Poloni sibi regem constituebant. Populus a se in regem jus omne transferebat. Regalium omnium dominium radicaliter erat in quovis de plebe ipsa vili, cerdone, lanio, sutore. Hos ne tu intuitu insignis illius radicalis Regalium dominii flocci tunc fecisses?

Sed his penitus omissis dicemus electionem Vicarii Capitularis totius Cleri esse provinciam. Ad confusionem tamen vitandam; item ne mo-

ræ nectterentur, & facilem exitum tantum inveniret negotium, ad Capitulum esse deventum; iccirco quia Capitulum facile in unum cogi posset. Hinc visum est, ut per allatas causas Capitulum in hoc actu totum Clerum repræsentaret. Id non abs re visum est, cum Capitulis, quando in id consilii ventum est, Animarum erat cura adnexa. Urbanorum tamen Parochorum supinam hic simplicitatem miramur, qui tam patienter, ne dicam stulte nullam sui rationem in tanta re haberi sunt passi, quando, & ubi Canonici animarum curam abjecere. Fortassis fuit id a Christiana modestia profectum, ne scilicet ipsi viderentur dominantes in Cleris.

Dixi: *Urbanos Parochos*; horum enim potissimus in Ecclesiastico regimine apud Episcopum locus; major quoque honoris gradus. Hi proprie cum Episcopo PRESBYTERIUM illud, de quo tam multa huc usque. Hi Consiliarii illi, illi laborum, & Episcopalis sollicitudinis consortes, in quorum electione majus probitatis pondus, uberior doctrinæ suppelex, publico quoque totius populi suffragio commendata virtus attendebatur. Vide, quam honorifico loco hi positi censebantur, quantum supra alios Sacerdotes eminebant. Pervetustum Neocesareense Concilium anno 313. edixit: *Presbyteri ruris in Ecclesia Civitatis Episcopo præsente, vel Presbyteris urbis ipsius offerre non possunt.*

Ceterum ex eo, quod Capitulo hodiernis moribus jus eligendi Vicarium illum est delatum, nullus suspicetur exinde Canonicis esse aliquid auctoritatis in Parochos quæsitum, vel his esse illos eminentiores; sicuti ex eo, quod in summi

Pon-

Pontificis electione soli jure suffragii gaudent Cardinales, non inferes Cardinalitiæ dignitati Episcopalem Potestatem esse subjectam; majorem illam, hanc minorem.

§. XIV.

SUMMARIUM.

Canones, qui Theologo nostro meminisse sunt visi de consensu, vel consilio Canonicorum in Ecclesiastico regimine, non id intendunt, quod ipse contendit.

A pag. 113. ad 119.

1. JAm a pag. 109. minitatus fuerat Noster: *Nonne Ecclesiasticum novissimum jus, quale in Libris Decretalium prostat, Episcopalem potestatem limitibus quibusdam coërcuit, eamque Canonicorum consensui illigavit quibusdam in capitibus, quæ inferne dabuntur (nisi potius in satis paucis rebus libertatem Episcoporum compresserit, quæ tota prius ab omnium consensione pendebat).* Potuisset modestius hoc (mendacium ceteroquin) efferri. Odi audax hoc loquendi genus, ubi de SS. Episcopis agitur.

Hic autem pag. 113. Fidem liberaturus veluti egregius Imperator aciem instruit, copiasque educit justo terrori (loquor in ejus sensu) grassanti Episcopali licentiæ futuras. Enumerat longo censu jura Capituli, *quibus veluti injectis frenis Episcopi compenscatur potestas*. Magno se judice tuetur, quandoquidem a solido veterum, novo-

rumque Canonum armario non futilia deprōmit bellica tormenta.

Ergo ait 1. Canonicos decisivi suffragii jure potiri in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quæ ad Cathedralem pertinent Ecclesiam. Hanc quippe alienationem Episcopus sine Canonicis irrito conatu molitur. Sic *Caus. XII. Quæst. II.* & alibi sæpius.

Advertat Noster hoc esse de toto Clero cautum, accensendumque veteris juribus presbyterii. Certe tunc Canonici nulli instar eorum, qui nunc sunt. Callet egregie Noster recentiores juris Pontificii constitutiones, quibus nec Episcopis ipsis, nec Canonicis, nec alii cuicumque inconsulto Rom. Pontifice permittitur illa alienatio. Celebris est in hoc Pauli II. Extravagans AMBITIOSÆ.

2. Agnoscit casum potestatis hujusmodi Canonicorum in administratione bonorum, & redituum Ecclesiæ, quæ si communia Episcopum inter, & Capitulum sint, ad utrumque spectat administratio. Advocat Cap. *NOVIT*, Cap. *QUANTO*, Cap. *EA NOSCITUR* his, quæ fiunt &c.

Ego id non arbitror Capituli juribus accensendum. Inter ipsos enim latrones servandum credo vulgatum illud: *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.*

Profert 3. Scilicet: Suppressio Canonicorum, ac Beneficiorum etiam legitima favente causa sine Capituli consensu Episcopo non permittitur Cap. *CUM ACCESSISSENT* Constit.

Si Canonicorum rem agerem, nunquam Cap. hoc adducerem. Prodit enim aliquid sinistri de Canonicis. Ibi Tullenses Canonici statuunt, ut

abro-

abrogetur in suo Capitulo Primiceriatus, & reditus inter ipsos Canonicos distribuantur. Sed nolim male de illis Canonicis suspicari; fortasse erant Canonicatuum reditus diminuti, & proinde congruam Canonicis illis non præstabant substentationem, & idcirco non ex avaritiæ spiritu, sed necessitatis vi ad hoc devenere Canonici Tullenses, & statutum illud Pontificia muniendum auctoritate curarunt. Quomodo enim alias sivisset Pontifex Primiceriatum aboleri in Ecclesia Tullensi, & redituum Dignitatis illius inter ipsos Canonicos distributionem?

Non video tamen, quid hinc pro asserta illa Canonicorum prærogativa. Ediderunt Canonici statutum de suppressione Primiceriatus. Ignoramus, an Episcopi consensus accesserit. Ast accesserit, vel non, perinde est, quia statutum illud imbecille, & infirmum sua natura a Pontificis confirmatione robur accepit.

Urget 4. In adnexione unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, quam sine Capituli consensu Episcopo licere jura non permittunt Cap. TUA NUPER his, quæ fiunt.

Mirum, quod doctissimus Noster ubicumque CLERUS nominatur, continuo ad Capitulum cum Cleri ipsius exclusione recurrit. En verba cit. Cap. *Alterius quæstionis solutio ex Epistola Leonis Papæ colligitur evidenter, in qua legitur: Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quidquam donare vel permutare, vel vendere audeat, nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & TOTIUS CLERI tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Irrita enim Episcoporum donatio,*

ven-

venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit absque conniventia, & subscriptione Clericorum.

Vides CLERUM. At hujus Cleri nomine Capitulum intelligitur, inquiet Noster, cum totius Cleri jura fuerint in Canonicos transfusa. Id modo negamus, & Clero tantum illatum detrimentum nunquam suspicabimur. Quis enim adeo segnes, & sui oblitos credet Presbyteros, ut sua sibi jura eripi a Canonicis tam patienter permiserint? Non his victoria castris stetit; non ab hoc imbelli milite debellatum est. Major ingruit hostis. Corrupti mores, caritas imminuta, superbia cunctas dominata per oras, sapientissimam Matrem Ecclesiam adegere, ut novam inveheret disciplinam, & ad summi ipsius Hierarchæ moderationem cuncta revocaret, a quo nihil justitia metueret, & tumultuosis improborum coitionibus obviam iretur, a quibus frequentissime sacratiora ipsa jura vim patiebantur.

Proinde ne ad nauseam usque idipsum iterumque iterumque moneamus, superfluum est VETUSTI CLERI prærogativas ad præsentium temporum rationem exigere, & ab illis decorem, nobilitatemque Clero nostro conciliare. Illa temporis illius disciplina fuit. Non ignoramus mutationibus ea, quæ disciplinæ sunt, esse obnoxia. Non igitur Clerum commendabimus, nisi ab intrinseca, & quæ nulli pateat vicissitudini, potestate, quæ quanta in Parochis sit, vel cæcus videt.

Levissima porro sunt, quæ a quinto usque ad ultimum hic attexit Theologus noster; scilicet Capituli consensum requiri, si Ecclesiæ auctoritas minueretur. Hoc nolim ego, & illum assensum reji-

rejicio, cum numquam Ecclesiæ minui deceat auctoritatem. Quod si vis ingruat, adsit, vel absit assensus ille, nihil ad rem.

Item in negotio, ubi forte Cathedralis Ecclesiæ detrimentum timeatur num. VI. Cui eodem modo occurrimus.

Tum VII. ut Seminarium in ædibus Canonicalibus erigatur, quod sane ibi extrui nequit sine Canonicorum consensu. Hoc vero notandum, quasi liceat alicui me ex ædibus meis invitum exturbare.

Rursus VIII. in Canonicorum, qui Supernumerarii dicuntur, creatione; & demum si velit Episcopus Animarum curam, quæ integrum Capitulum tangit, uni certæ personæ, aut dignitati perpetuo adnectere, Capituli consensus requiritur ex Trident.

Patet responsio: jus omne interdicit, ne misero novæ ambages struantur, nova dissensionum seges paretur, cum satis sit misero Canonico ferre eos, quos in Capitulo invenit, novos hostes, qui satis divexatum illum discrucient, invehere non modo illiberale, sed sævum omnino & inhumanum est.

Et quoad animarum curam credebam de re, quæ fieri non posset, præceptionem dari. Quis enim sibi oculos suffodi voluntarius pateretur. Quis se gemma tam conspicua sineret despoliari? Factum tamen videmus domesticos intra parietes, O stultitiam singularem, nullis, quæ satis sint, lacrymis deflendam! Scite ceteroquin, id a Tridentino cautum. Præstat enim eum, qui invitus rem tantam (animarum curam) pertractat onus,

a se

a se rejicere, ut alteri, qui diligentius munus illud sit gesturus, pateat locus.

Ex his abunde satisfieri potest omnibus illis, quæ Noster deducit ex casibus, in quibus capituli consilium Episcopus tenetur exposcere. Clerus ille, ad cujus consilium Episcopus clericos ordinat, non est capitulum, cujusmodi hodie accipitur. Desinamus tandem vetustos Canones scrutari, jejunemus, & ploremus gratias agentes. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumti. Quasi ignoremus eo jure in sacris Ordinationibus hodie potiri Episcopos, ut non solum Capituli, & Parochorum consilia, si velint, non exquirant, sed & celent, si lubet, Canonicos, & Parochos nomina etiam eorum, qui sunt initiandi.

Quis non pulcherrime callet secretam inquisitionem in mores promovendorum Episcopum agere? Ut proinde si Archidiaconi postulationem attendamus, cum instat: POSTULAT SANCTA MATER ECCLESIA: rursus cum Sponsorem se exhibet illis verbis QUANTUM HUMANA FRAGILITAS &c. nos non possimus non ingemiscere, & veteris illius disciplinæ desiderio inflammari. Impius autem insignem hîc ludificationem admitti blaterabit, cum Archidiaconus ne de facie quidem promovendos illos, pro quibus interpellat, & se vadem tanta securitate spondet, agnoscat. Nos interim piam Matrem Ecclesiam rectissime ritum illum servare, & retinere clamabimus, ut scilicet vetusta, & hominum malitia cogente mutata aurea praxis illa non omnino oblivioni mandetur, & moribus emendatis spe erigamur, ut

illam

illam revocare Misericors & Omnipotens Dominus dignetur.

Non oportebat iterum in scenam adducere Alexandrinam Constitut. in Cap. NOVIT QUANTO, licet enim prora & puppis sit illa pugnantibus pro Capituli prærogativis, ejus tamen sensum fusissime supra prosecuti sumus, ut fastidiosum sit de eadem re toties audire.

In INQUISITIONIBUS, ET CONDEMNATIONIBUS Clericorum, & Sacerdotum consilium Capituli exquirendum probat Noster ex Cap. SI QUID Dist. 86. Quod universo Presbyterio ibi tribuitur, ad solum Capitulum feliciter trahit doctissimus Noster, nec videt ex invecta Vicariorum Generalium institutione quanta sit illi disciplinæ illata calamitas, ut inutiliter proinde, ne dicam ridicule, de his nunc quæstio instituatur.

Ne ex stulto me prorsus insanum faciat altius insidens menti meæ lugubris consideratio jurium (eo tamen, quem supra posuimus, sensu) vetusti Presbyterii, occurrat memoriæ meæ sequentium temporum iniquitas, dum scilicet prisca illa modestia longe fugata, non ultra inviti homines Sacerdotio inaugurandi ad altare pertrahebantur, sed pecunia, sed gratia ad Ecclesiasticos gradus sibi viam improbi muniebant. Quid boni ab hujusmodi Sacerdotibus expectasses? Clamoribus, odiis, invidia, sectis, æmulationibus, contentionibus omnia personuerunt. Ipsa Concilia fausto exitu non claudebantur. Vide Gregor. Nazianz. in Epist.ad Procop.

Justissimo proinde Ecclesiæ judicio ad hanc reginis formam deventum est. Quod si ipsi boni, & pii viri in hoc aliquid offendant, id humanæ na-

naturæ vitio tribuendum, cum nihil esse queat ab omni parte beatum, & intolerabilis præsumtionis illud sit velle omnia prorsus mala ab hac universitate longe remota Cap. QUANTUS ARROGANTIÆ XXIII. Quæst. 4. 15.

Pergit Noster, & Canonicorum prærogativas persequens subdit: *Indulgentiæ non per alios, quam per Episcopos indicuntur adhibitis duobus de Capitulo ex Tridentino*.

Papæ! Hoc vere magnum dices. En Tridentini verba Sess. XXI. Reform. 9. *Indulgentias, aut alias Spirituales gratias, quibus non ideo Christi Fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo publicandas esse decernit* (S. Synodus). Scilicet adhibentur duo Canonici ad ornatum, & decorem publicationis illius, ut si Parochus baptismum nobili infantulo ministraturus Alba, & Piviali ornatus, longo Clericorum choro stipatus e secretario prodiret.

Robur Capitulari jurisdictioni, & dignitati conciliat Theologus noster ex eo, quod sint præcipuæ Canonicorum partes in Diœcesana Synodo. Hujus enim sanctiones firmitate carere, si inconsulto Capitulo promulgentur, affirmat. Profert Lucium Ferrarien. Sed hic ait: *Episcopus prudens, antequam Synodi decreta promulget, debet prius in privatis congressibus a viris doctrina, prudentia, ac pietate præstantibus, & deinde ex obligatione a Capitulo Collegialiter coadunato consilium exquirere*.

Justum, & humanum id. Quod autem ex obligatione sic teneatur Capitulum exquirere, ut hujus deficiente consilio, nullus Synodalibus constitutio-

tutionibus valor conſtet, id Epiſcopis non facile probabitur; & voluiſſem, ut firmioribus hoc argumentis Noſter roboraſſet. Scio ſæpius a S.Congreg. deciſum, cleri conſenſum non requiri in Synodalibus conſtitutionibus firmandis.

Fingamus publico malo Epiſcopum nullis doctrina inſignibus Canonicis ſtipatum Synodum velle habere. Evocavit ſimplices Presbyteros ſapientia præſtantes, cum his conſilia contulit, conſtitutiones conſcripſit. Omnibus deinde, quorum intereſt, ad Synodum accerſitis, decreta rite recteque promulget; nullus reclamat; plaudant omnes, an Lucius Ferrar. Synodum hanc, quia nullæ in ea Canonicorum induſtriæ, expungeret? Vir æneæ frontis, & ferrei ſtomachi, ſi auderet.

§.XV.

§. XV.

SUMMARIUM.

1. *Castigatur licentia cujusdam veteratoris indignis modis Assisios excipientis.*
2. *Injustissime his aditum ad Canonicatum præcludi.*
3. *Demonstratur omni momentorum genere hos ceteris paribus præferendos in ascensu ad Canonicatum.*
4. *Florentissimus hodie Cathedralis Aversanæ Assisiorum cœtus.*
5. *RR. D. Bernardi Carobene Assisii Elogium.*

A pag. 121. ad 124.

1. EPiscopis in ordinem redactis, Canonicorum majestate firmata, imperioque adaucto, Parochis clanculum, & per cuniculos subversis, ad multiplex, totumque proprium RR. Capituli Aversani decus æternæ memoriæ mandandum, triumphalem calamum convertebat Theologus noster, cum nescio quis veterator pulcherrimi Operis invidia tactus, odium tanto Viro apud universos conflaturus, tristes duas hic inseruit pagellas, in quibus spectatissimus, & omnibus nominibus celebrandus Assisiorum, vulgo Hebdomadariorum, Aversanæ Cathedralis Ordo immaniter divexatur, proscinditur, laceratur. Equidem non agnosco hic Theologum meum: aliena manu, & satis hostili maculosum pannum hunc assutum pro comperto habeo. An mihi in animum inducam do-

 ctissi-

ctissimum, modestissimumque hominem sui oblitum felle, & veneno tumentem extra justitiæ, æquitatis, pudoris septa delatum potuisse in immerentium perniciem tam graviter incumbere? Theologum tantum ponere mendacium spem suam, frigide ratiocinari, inepte concludere? Non ergo Theologum meum convenio, sed putidum illum calumniatorem, qui nitidissimum doctissimi Nostri Librum ingenti hac labe fœdavit.

Splendide mentitur in ipso exordio, dum Assisios nobis repræsentat per Regia Tribunalia cursitantes de Canonicatu contendentes. Res ita se habet. Assisii miris, variisque modis oppressi, cum de angusto satis, quod ipsis constitutum fuerat, dimenso temporum iniquitate imminutum viderent, nec modo Sacræ Militiæ omni jure debita denegarentur stipendia, sed & necessaria subtraherentur alimenta, cum neque demissæ iteratæ preces, neque per gravissimos totius urbis viros interposita apud eos, qui rerum potiebantur, officia valerent, bonis omnibus hortantibus, Episcopo probante Regium adiere Thronum calamitatis suæ indolescentes, auxiliumque lapsis in rebus postulantes. Hoc totum. Quas contentiones comminiscitur, quæ somniat veterator ille Tribunalia?

2. Sed Helenam illam, illud Idolum, scilicet Canonicatum Assisii concupiere?

Proh nefas! *Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri* Assisii? Vos ne illum . . . Et postulavissetis vobis regnum? Quomodo in Canonicatum adspicitis insuperabili vos objice longe prohibente? *Siquidem longissimi temporis præscriptione factum* [ait Adversarius] *ut Assisiis ad*

R Ca-

Canonicatum præcludatur accessus. Antiqui mores ostendunt abs re Ecclesiæ non esse hujusmodi homines ad altiorem hunc gradum provehere. Uno, aut altero tempore unus, aut alter Antistes eorum aliquos altius ascendere jussisset. Id vero nec contigit unquam, nec pro rerum humanarum conditione contingere unquam potest.

Exhorrescat cælum. Quanta in tribus verbis iniquitas! mendacium imperitia, tum communis sensus depravatio, tum Ecclesiasticorum graduum odiosa, fœda, detestabilis invecta imago. Pudet cetera persequi. Mentitur, dum a nullo Antistite Assisiorum ullo tempore aliquem ad Canonicatum dicit evectum. Consulat Tabularium Episcopale; frequentissimi occurrunt Assisii ad Canonicatum omni tempore a variis Præsulibus promoti. Qua fronte oppositum tam secure pronunciatur?

Tu ne præscriptione pugnas? O egregium mercatorem, qui in sacratiora Ecclesiæ jura, omni jure conculcato, hanc invehit regulam, & cui ignotum, quibus munitam conditionibus tum Ecclesiastici, tum Politici Legumlatores præsciptionem voluerint. Adeat tyrunculos Legulejos; ediscat versiculos:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
Bona Fides, justus Titulus, Res non vitiosa
Quod Res tradatur, & Tempus continuetur.

Disperearn, si non decem pro quinque hic desint requisita. An unum, & modicum probrum fuerat illud: *Hereditate possideamus Sanctuarium Domini*, ut necesse fuerit addere: *præscriptione hæreditatem Domini dissipemus*.

Verum se hoc argumento peti sentient honestissimi Canonici nostri, quorum nullum ab omni-

bus

bus retro seculis Episcopalibus infulis decoratum novimus. Deus immortalis! In Italia quot oppida, tot Episcopatus, & tamen horum nullum ne Apuliæ quidem Episcopulum ulla vidit ætas. Scio unum tanrum (idque nostris diebus factum) ex Canonicis nostris prodiisse Episcopum. Sed ille jure non erat Canonicus censendus. Nam de Episcopatu tutus eo, quod omnes norunt consilio, ad Canonicatum accessit. Præscriptum est ergo quoad Episcopatum contra RR. Capitulum Aversanum? Quis feret?

Tristatur communis sensus, dum audit cœtum unum Assisiorum excludendum a Canonicatu. Quî fieri id poterit? Tantum in sublime attollitur hæc dignitas, ut qui ab Episcopatu, a Cardinalatu, imo, & Summo Pontificatu non excluduntur, a Canonicatu arceantur?

Quis cœlum terræ non misceat, & mare cœlo?

Quantum injusta de Ecclesiasticis gradibus exhibetur imago, dum hi probis Presbyteris interclusi nuntiantur; cum probitate, & doctrina ad sublimia quævis in Ecclesia singulis viam muniri constet inter omnes. Et in hoc injuriosum se præbet Theologo nostro ineptus scriptor, dum Hierarchiam nervose ab illo ad Tridentini sensum propugnatam ipse mancam, & debilem facit exclusione Assisiorum, quasi non essent hi uncti oleo. Si enim ad Canonicatum evehi nequeunt, jam nullo loco sunt; jam extra Hierarchiam illam constituentur. Si autem vi Diaconatus, vel Presbyteratus ad Hierarchiam pertinent, semper ad altiora illis debet ascensus patere, cum inauditum sit aliquem alicujus Ecclesiæ ministerio

addictum ineluctabili necessitate immobilem detineri in eo, quem primum cepit, gradu, nec posse ad altiorem in eadem Ecclesia ascendere.

At *quo tantum meruere nefas, quo Numine læso* Assisii a Canonicatu excluduntur? Nempe *Quod decere minime videatur, ut qui deserviendo instituti sunt, ad imperandum continuo arcessantur, quemadmodum indecorum certe existimaretur, si Judicum Apparitores in Tribunalibus statim nullo alio interjecto gradu ad jus dicendum advocarentur.*

O vocem sacrilegam miscentem sacra profanis! Os durum! Ergo Canonici ad *imperandum? Christus non venit ministrari, sed ministrare. Magister, & Dominus lavat pedes Discipulorum*; clamat: *Ego sum in medio vestrum, quasi qui ministrat; & imperant Canonici?* En Christi Vicarius Petri Successor vocat se *Servum Servorum Dei?*

Quomodo modestissimi nostri Canonici mala omnia non imprecabuntur nebuloni illi, qui talia de ipsis prædicat? Quomodo pientissimus Theologus noster subtili disquisitione non inquiret, quinam is, qui sibi talia impingit? *Imperant Canonici?* Ego video Cauonicos, qudrum nullum cerno hujus Imperii vestigium. Erit forsitan imperium novi generis. Adii Bartholos, & Baldos, edidici tria Imperii genera. Nullum in hos cadit. Et quibus imperant? Scilicet Assisiis, qui *deserviendo sunt instituti*.

O miserrimum Assisiorum genus, cui a natura ipsa servitio premi comparatum est! Quamvis autem in servorum conditione nulla sit differencia

tia ex Instit. Imper. quia tamen est ordo quidam inter servos quoad officia, & munera, quæ alia aliis honestiora esse solent, dic sodes, cujusmodi servi sunt nostri Assisii? Num atrienses, num culinarii, num a pedibus? Et si quid fœdis sit edissere. O frontem hominis!

Et quid in hoc vultu poterit flagrare ruboris?

Imperant Canonici? Nemo unquam verbum asperius audivit. Saltem uni Domino servirent Assisii; non adeo infelix eorum esset conditio; nam teste Claudiano:

. . . . Discrimina quædam
Sunt famulis, splendorque suus, maculamque minorem
Conditionis habet, Domino qui vixerit uno.

Unus servit 30. dominis, cum ex Evangelio duobus servire non possit.

Neque dicat id verti non debere in ipsorum contumeliam Assisiorum, cum perhonorificum sit Ecclesiæ servire, nam aliud est Ecclesiæ, aliud Canonicis servire, & textus ipse totus contumeliosus iniquum Scriptoris consilium prodit. Ergo Canonici, qui Ecclesiæ deserviunt, ad Episcopatum promoveri non poterunt? Vah. . . Si ergo idem est in Assisiis servire, cur a Canonicatu arcentur? Non ergo Ecclesiæ, sed Canonicis deservire sunt nati. O fortunatam Canonicorum sobolem, cui tantum bonum domi nascitur!

Verum non insignis vappa ego, qui insanienti homini irascar? Hominem ex insano sanum fieri posse? Dupliciter insanus, qui contendit. Rideamus, & jocemur, incidimus quando in *rem di-*

gnam salibus facetiisque. Quam pulchrum illud: *Judicum Apparitores* in *Tribunalibus!* Risum tenere non possum. Indignabuntur tamen optimi Canonici nostri. Hi enim advertent se judices omni jure cogi posse ad justum salarium Apparitoribus illis, deservientibusque suis decernendum; alias quivis in unum Assisiorum male vestitum, & pejus peculiatum incidens clamabit cum illo apud Comicum:

> *Apparet servum hunc esse domini pauperis*
> *Miserique;*

Et probrum non recidet in ipsum Canonicum? irascetur certe Theologus noster. Ipse enim magnum causæ suæ præsidium posuit in inscriptione Synodicæ Epist. Ephesinæ Synodi, ubi Episcopi simplices Presbyteros Constantinopoli degentes *Comministros suos, & Compresbyteros* vocant, & hic vult Assisios dici *Servientes*, & hoc nomine a Canonicis vocandos. Vide hominis confidentiam!

At axiomatis loco ponit: *ex doctissimis, & probitate maxime conspicuis seligendum eum, qui Canonicus inauguratur*. Probe. At seligitur? Sunt omnes ejusmodi? Possunt; at non possunt Hebdomadarii, *quia cantus ad scientias comparandas ineptos reddit. Toto enim Marte in cantum incumbere debent, & ars longa, vita brevis*. Quot annorum spatio ea cantus peritia Hebdomadariis nostris stetit?

Nolo hîc alium judicem, nisi Theologum nostrum. Ipse, qui tam sollerter vetusta monumenta versavit, & in illis antiqui Presbyterii jura rimatus est, exponat, quando musicæ, & lascivis

mu-

musicorum modulationibus, quibus addiscendis pene tota vita impar, in Ecclesia vetustis temporibus locus, & quando auditum Assisios ex vi sui muneris musicos agere debere? Scio ab omnibus Conciliis sequioris ævi (Doctores prætereo) edici, ut si quæ musica adhibeatur, non sit lasciva, nec choreis potius, quam choro congruens, sed gravis, & movens pios affectus.

At ineptus calumniator, qui in minimis tenuissimisque rebus ita labitur, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur, id non sapit. S.Leonem II. quia musicis eruditus fuit, in Aversanorum album Canonicorum referri vetuisset noster Scriptor. Bonus scilicet homo Ecclesiastici, devotique cantus peritiam totum hominem occupare debere arbitratur. Quod quid aliud est, quam tristi censura omnes, qua veteres, qua recentiores SS. Antistites notare, qui Clericis omnibus serio eantus notitiam præcipiunt. Romani ipsi Pontifices, quin Reges idipsum ursere, & in ipsas barbaras regiones, quibus veræ Fidei lumen esset illatum, continuo Ecclesiasticorum cantum invehendum curarunt, cum ex devota illa modulatione pii excitentur affectus, & ad cælestia animus dirigatur. Testis locupletissimus Augustinus in suis Confessionibus.

Verum Gregorius Magnus inducitur cantoris munus Presbyteris, & Diaconis interdicens, & in solos minores Clericos illud rejiciens. Miseret me hominis istius. Si indignum majoribus Ordinibus cantum æstimabimus, jam Canonici ipsi nunquam cantabunt. Aderunt tanquam idola choro, vocem tamen non emittent, & de his jure dicetur: *Os habent, & non loquentur*. At quid

quid facies, si Canonicos non cantantes fructus suos non facere jura clamant, neque hos benignissimus ipse absolvit Diana. An innocentes Canonici, qui ad indignitatem tantam, qualis est cantus, Assisios Sacerdotes compellant? Nullo modo.

Gregorius igitur accipiendus est de cantu illo theatrali, de lascivis illis modulationibus, de quibus supra meminimus, quas non solum ab Assisiis non postulamus, sed ab his longe repellimus, damnamusque in Subdiaconis, & ipsis minoribus Clericis. Fortasse Diaconi, & Presbyteri illi, cum exquisitis, & longo usu comparatis modulationibus assuevissent, non facile dediscere poterant, quod didicerant diu, & quamvis sæpius moniti in idem recidebant, idcirco Gregorius illis omnino cantu interdixit, & in minores Clericos, qui nullam ætatis suæ partem in dictis studiis contriverant, canendi munus rejecit. Conjecturam firmant Gregorii ipsius verba, quibus queritur illos gravioribus curis nuncium dixisse. Quod nisi dicamus, jam asserere cogemur Divinam psalmodiam Gregorium in Presbyteris damnasse.

Quam ridicule a Collegiis illis, in quibus ad concentum adolescentes informantur, argumentum desumit insperatæ in litteris, & scientiis progressionis in Assisiorum cœtu! Quid Clericis nostris cum illis commune? Litteris illi operam dant, scilicet ut elementarii evadant, & legere tantum sciant, ut cum filiis lanionum, aurigarum, tonsorum factum videmus]. Tu hos cum Clericis conferes, quos sub optimorum magistrorum vigili adcuratione positos, censoribus in dies

sol-

follicitantibus, examinatoribus terrentibus, Episcopo urgente scimus naviter in litteras incumbere?

Sed hæc quid refricamus, cum oppositum manifesta prodat experientia? Nonne vides ex spectabili illo Assisiorum ordine urbanos, & dioecesanos Parochos extitisse quamplurimos? Si ad Curatum Beneficium (scis quanta ad istud suppellectile opus, scis quantæ probitatis, scientiæ tessera ad illud accessus pateat). Omni tempore sub omnibus Episcopis Assisii sunt promoti; quæ nova isthæc in te incessit religio, ut hos crude, & illiberaliter a Canonicatu longe arceas, & extermines? Ast tu, qui zelo zelatus es pro Reverendissimo Capitulo, nec ad Canonicatum vis ullum promoveri, nisi doctissimum, age sare, si doctissimus semper in Canonicum eligitur? Abjice, injuste libripens, stateram dolosam; quid pondus, & pondus tractas? Verum hoc non tuum: videat ille, cujus est videre.

Verum vilis nimium Assisiorum originaria conditio. *Canonicis in gravioribus Ecclesiæ negotiis occupatis, doctrinæque suæ radiis alibi errorum, & ignorantiæ tenebras dispellentibus, jam elanguebat chorus ex illorum absentia. Quæsiti ergo Clerici, qui Canonicas horas in choro persolverent. Altioribus muneribus impares isti, nec ea scientiæ, quæ in Canonicis requirebatur, suppellectili divites ad canendum sunt adsciti. Maxima ergo ordinis perversio, si ima summis commutare velimus.*

Hæc gratis asseruntur. Si verum amamus, dicemus socordiam, inertiamque Canonicorum institutioni Assisiorum aditum parasse. Illi hereditatem

tatem sine sacris assecuti, cum loco moveri non formidarent segnius munere suo fungi; raro adesse choro, modo stomachi, modo capitis imbecillitatem causari; hinc mira canonici pensi incuria, altum in Ecclesiis silentium in ipsis sollemnioribus diebus: ingens populi scandalum; cumque nulla possent via Canonici ad officium revocari, factum est, ut alii ipsis darentur succenturiati, qui illorum absentiam vigili, & accurata sua præsentia emendarent. Spes certe his tuta data est in Canonicorum locum suo tempore veniendi. Ecquis alias adeo insanus, & sui oblitus, qui se, suamque operam pro teruntio locaret? Qui spem omnem sic crudeliter sibi pateretur intercipi?

Hæc evidentissime monstrant non nisi injustissime a Canonicatu Assisios excludi, nec Capitulum tanti esse, ut novam hanc in Assisios irregularitatem invehat, cum neque ex delicto, neque ex defectu queat illa in numeratos cadere Presbyteros; quin caveant pauci illi Capitulares, qui in oppositum nituntur, ne in seipsos ex lenitatis defectu tantum arcessant malorum.

Quid sævius excogitari potest, quam velle nullo loco eos haberi, per quos illius, quæ sursum est Hierusalem, viva nobis repræsentatur imago; qui Dei laudes jugi canore prædicaturi, sive

Tempore, quo siccos cancer adurit agros,

sive

Cum riget horrendo perfida bruma gelu.

Templum statis horis adeunt, ibique longas per moras ascensiones in corde suo ad Dominum præparantes, in carne mortali se Angelos nobis exhibent; et si sapimus, eorum voces nobile nobis

ad

ad cæleſtia incitamentum auribus haurientes reddamur, & ipſi *almæ Sionis æmuli*.

3. Sed nunc, quod caput eſt, non ſolum injuſtiſſime excludi a Canonicatu Aſſiſios, ſed cæteris paribus præferendos eſſe omnibus tenendum eſt. Quod & nunc omni momentorum genere confirmandum ſuſcipimus.

Hominum ſocietate coalita ipſum jus Naturale ſi vetat ulli nocere, ſuadet, ut illis ſimus magis propitii, in eosque, ceteris paribus, vividiores amoris, & beneficentiæ significationes conferamus, qui propius nos attingunt: sic ad eſum Agni vicinum vocandum edixit Deus. Quo animum intendens Petrus, dum agit de novi Apoſtoli cooptatione, clamat vocandum unum *ex his, qui nobiſcum ſunt*. Consideratione digniſſima est vox illa NOBISCUM. Quantum sibi nomen apud illos Fideles pepererant Joſeph ab Arimathæa, & Nicodemus apparando Chriſti funus! Synagogam, Concilium, Pontifices impavide, & palam illo pietatis officio damnaverant, & mortuo cum ſui apud totam illam gentem honoris detrimento tam ſplendide parentaverant: & ille quidem *nobilis Decurio, & ipſe dives*; Nicodemus autem illi non ſecundus: & hos præter quot erant alii occulti diſcipuli Domini? An arbitraris hos ſolos 120. tunc fuiſſe credentes? Et tamen Petrus clamat eligendum unum ex his, *qui nobiſcum ſunt*. Et juſtiſſime quidem, cum nulla unquam sit vicino ne remota quidem offensionis cauſa inferenda; quod significavit ille Sapiens, dum dixit: *Cum vicino nunquam in gratiam redeundum*. Magnum profecto crimen vicino ſe exhibere mole-

lestum, hoc enim Claudiano teste acerrime vindicaret ipsa

. . . . Pellita Getarum
Curia.

Age; quinam Canonicis magis proximi, quam Assisii? Unum, idemque studium utrumque tenet ordinem. Canonici, audivimus supra ex Van-Espen, ad hoc instituti sunt, ut laudes Domino decantent; plus in hoc sibi vindicant, plus audent Assisii, & horum quilibet poterit Decano, vel Præcentori ingerere:

Numinis ejusdem cultor uterque sumus.

Cogita quantum (etiam ambitione proscripta, longeque fugata) ingenuus Assisii pudor commoveatur, & qualem justa spes mœrorem concipiat, dum ipse, qui minus palmo uno a stallo Canonici abest, æternum immisericorditer prohibeatur, veniat alter longinquis advectus ab oris in alienam irrumpat messem, & labores non suos comedat. Si hæc contumelia non est, quid est contumelia?

Hoccine est humanum factum, aut inceptum? calamitatem ex se magnam vicinitas ipsa majorem multo sævioremque facit. Leandrum impotenti amore deperibat Hero; jure queritur:

Nec mare, nec spatium, nec nos via separat ingens;
Exigua prohibemur aqua.

Unum Tantalum ingeniosa Fabula finxit. Nil atrocius potuit illa comminisci. Tu, nisi Assisiorum egregia obsisteret virtus edocta cuncta, quæ terram sapiunt spernere, non unum, sed plures Tantalos nobis repræsentares.

Vide

Vide quantum Naturali juri adverferis, dum Affisiis ad Canonicatum aditum præcludis. Nec minus peccas in jus Divinum. Audi insignem illam Domini præceptionem Parabolæ appositione firmatam, ubi uni ex convivis dicitur: *Amice afcende fuperius*. In hanc fententiam locum hunc Sacri Canones accipiunt. Cogita cuinam hoc dicatur; fcilicet uni ex illis, qui menfæ affidebant. Affident, infimo quamvis loco, Affisii menfæ Canonicorum. Menfa myftica eft Sacer Chorus, ubi variis ex Scripturarum penu ferculis pascitur animus. Ambulant cum Canonicis in domo Domini cum confenfu. Ergo nunquam uni eorum dicetur: *Amice afcende fuperius?* Ergo femper unicuique horum dicet Canonicus: *Sede fcabellum pedum meorum?*

Area eft Ecclesia; vinea quoque. Conftat ex Evangelio. De illa prout in choro reperitur maxime proprie dicitur: *Animalia tua habitabunt in ea*, his cibus debetur, & ipse Deus dicit *non alligandum os bovis triturantis in area fruges tuas*. Hanc vineæ partem colendam fufcepere Affisii. Hic pingues botri, hic vinum meraciffimum. Ut quid alibi paleas, ut quid alibi diffipatas cifternas quærere compellentur Affisii? In hac area fruges triturantur; hic non alligandum os triturantis. Ergo ejicientur extra vineam Affisii jejuni, vel in ipfa vinea fame enecti peribunt? Nullum ne his pomum novus annus educabit? In area ipfa fub fafce laborum gravati difrumpentur? *Heu pietas, heu prifca Fides!*

Quid plura? Ergo femper injuftam duramque novercam experientur hi pientiffimam Matrem Ecclesiam? Desipis, si injuftæ, & turpi huic des

lo-

locum suspicioni. Mens Ecclesiæ est, ut Assisii suo tempore in Canonicorum sedilia involent; vacantia Canonicorum occupent stalla. Ex quo nobis etiam non dicentibus, facile deduces, & juri Ecclesiastico ex diametro adversari indignam illam assertionem, qua Assisiis Canonicatu interdicitur.

Ecce Cælestinus Papa I. ad Episcopos Galliæ anno 423. relatus cap. NULLUS Dis. 61. Ecclesiæ sensum nobis aperuit: *Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suum per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepat, nec alii debitam alter sibi vindicare audeat mercedem.* Et vide quantum in hoc stet firmiter: *Sit facultas clericis retinendi, si se viderint prægravari, & quos sibi ingeri ex transverso agnoverint, non timeant refutare.*

Nulla hîc opus Glossa: incurrit in oculos stupidi cujusvis apertissima, & cedro digna sententia. Hanc si commentandam susciperemus, profecto de illius videbimur robore diminuere. Scio Cælestinum loqui de eligendo in Episcopum. Sed nihil id incommodat; idem enim de eligendo in Canonicum, in Parochum, & ad quemlibet gradum promovendo dixisse censendus est, cum eadem ubique victrix militet ratio.

Imo & potior, & pro Assisiis nostris longe efficacior hîc se exerit ratio. Si enim ex Apostolo: *Nemo militat suis stipendiis unquam*; si ex Sacris Canonibus: *Ecclesiasticis utilitatibus desudantes Ecclesiastica dignum est consolatione gaudere*; jam Assisii, qui tam longa die pondus diei, & æstus, nulla adhuc eos sequente mercede

por-

portarunt; si ſuis ſtipendiis militarunt non exigui, ſed longi temporis decurſu; quis nisi injuſtiſſimus eos Canonicatu dixerit excludendos?

Quod si adhuc istud diſplicet, cerne quantam in Eccleſiaſtico regimine ordinis perverſitatem, qui ſecus ſentit, agnoſcere cogatur: injuſtitiæ Præſules, amentiæ reos ipſos peraget Aſſisios. Per gradus ad Eccleſiaſtica munia, & dignitates aditus comparatur, nec quis momento ſummus fieri debet. Qui ordinem hunc abrumpit, non injustus ille? Qui sibi ita illudi patitur, ut aſſe minus operam ſuam æternum locet ſpe ſine progrediendi, nonne amens ille, imo inſanus?

Equidem dum hæc perpendo, non video, an ullus Eccleſiaſticorum ordo in vinea Domini laborantium eſſe queat, qui de Canonicatu jure cum Aſſiſiis contendat. Extraordinarios caſus prætereo; rem, ut vulgo obtinet, diſpiciamus.

Parochum ſenio fatiſcentem, & arduo muneri ineptum redditum, qui Canonicorum Collegio vellet adſcribi, non increparem. Emeritum bellatorem militiæ labore perfunctum, ſed nunc cui genua labant, caligant oculi, & plurima in toto corpore mortis regnat imago, in caſtra quietis ſe recipere conantem natura ipſa, & omnia jura non rejicient. At id de omnibus Parochis accipies? Hos Aſſiſiis indiſcrete præferes? Vah ineptum Parochum, qui indignitate tanta dignitatem ſuam proſtituit, & Curato Beneficio ſimplex, quale eſt Canonicatus, præponit, illudque hujus ergo dimittit. Neque hic timet Dominum, dum novus Eſau hæreditatem ſibi præripi patitur libenter; ſtolam gloriæ abjicit, & a Summo, in quem Dei miſeratione aſcenderat, loco ad ima

de-

delabitur, scilicet *de equo ad asinum*, ut loquitur S. Petrus Damianus. Hunc stultum stulte petentem Episcopus, si sapit, *vinclis*, *&* *carcere frænet*. Nil ergo a Parochis in hoc timeant Assisii.

Verum in Canonicatus petitione primas esse partes eorum, qui in inclyto Seminario nostro operam suam collocant in informandis ad humaniores litteras, vel graviores disciplinas convictoribus, si dixerit aliquis, hunc continuo tamquam injuriosum egregiis illis Magistris, & Doctoribus dignis modis increpabimus, ejusque insaniam refellemus. Ergo ne eloquentiam, Divinum donum, scientiasque longo usu totque vigiliis, & laboribus comparatas hi perdendas didicerint, nec in plateis aquas suas divident? Hos præclaros fontes intra se concludent? Ecquis eloquentiæ ecquis scientiæ in Canonicis usus? Quisnam illos consulet? Quando eorum vox in Foro, in Templis audietur? Non hos elegit Dominus per quos salus fiat in populo suo. Ascetarum his partes tributæ. Ad Animarum curam vocentur clarissimi illi Professores. Hic dignus campus eorum virtuti patet. Hunc excolant, cum sint egregie illi excolendo instructi.

An negotium Assisiis nostris facessent Monialium Confessarii? Nequaquam; modestissimi hi hominum: nunquam ab his turbatum: non clamabit:

. . . . . Melicerta perisse
Frontem de rebus . . . .

Neque unquam oppressus Assisius ejulabit cum Zacharia: *Videat Dominus*, *&* *requirat* Paralip. XXIV. 22. Sed manifesta res est, ut proin-

de

de quicquid fuerit) ab illa parte objectum, id lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videatur.

4. Et hæc quidem pauca de Assisiis, & pro Assisiis nostris innuisse non fuerit omnino inutile, tum in obsequium veritatis, qua nihil nobis antiquius esse debet, tum in gratiam ipsorum Assisiorum, quorum quo infelicior, si ad fortunæ bona spectes, nunc conditio est, eo majus ex probitate, modestia, & omnibus Christianis virtutibus decus elucet. In his

. . . . *Nil fessa reliquit*
Officii virtus . . . . . .
Major in adversis micuit.

Et quamvis in dies omnia in deterius prolabantur, pejoresque nos avis vitiosior ætas eduxerit, horum portento vere mirabili procedentibus temporibus majus ex solida virtute factum est decus. Profecto si aliquando hujus ordinis aliqua extiit juste comparata gloria, nunc illa florentissima est, neque ullam arbitror fuisse ætatem, in qua digniores Sacerdotes illi ordini inventi fuerint adscripti. Scio ipsos propter eximiam animi submissionem non secundis auribus hæc excepturos.

5. Temperare tamen mihi non possum, quin fulgentissimum non solum Ordinis illius, sed totius Aversani Cleri lumen, decus, & ornamentum commemorem R. D. BERNARDUM CAROBENE. Hujus summam spectatissimam virtutem nec ipsa tota eloquentia Tulliana digna posset oratione complecti. In ipso flore juventutis assiduis innocentiæ argumentis traductæ is

eam vitæ rationem instituit (quam & constantissime tenet, & in dies miris solidæ virtutis processibus cumulat) quæ non solum egregium cunctis esset exemplum, sed ingens spectaculum omnium seculorum fama, encomiisque dignissimum.

Non hîc victum, cultumque in primis horridum, & asperum commemoro, non dies, noctesque fletibus junctas, tum non interrupta jejunia, tum nihil de quotidiana precatione remissum; vulgaria hæc, neque in tanto viro ad summum perfectionis apicem grassante, ut nova, vel magna dices recensenda. At age ex hoc uno, quod memoro, vide Hominis ingenium. Quinquaginta ferme sunt anni, cum dictus Heros in album Hebdomadariorum hujus Cathedralis est relatus. Gaudet hoc privilegio Capitulum Aversanum, ut in duas turmas Canonici cum Hebdomadariis æque divisi, qua Hebdomada una turma choro astet, altera ferietur. At Noster tot annorum spatio nunquam feriatus est. Matutinis, Vespertinisque horis quotidie interfuit novo, & omnibus retro seculis inaudito prodigio; cumque Canonici vix absoluto horarum penso *non secus, ac si Diabolus eos flagellis persequeretur* (habes hæc apud Van-Espen) *celerrima fuga se ab Ecclesia proripiant*. Hic non discedit de Templo; domus illi nulla, nisi Templum: hic veluti mundo emortuus, & Christo consepultus inter incommodæ illius habitationis, quas suspicari potes, acerbitates, cælestem vitam transigit, noctesque vel genu flexo, vel facie humi strata coram SS. Tabernaculo ducit insomnes. Viventis

tis ἀποθέωσιν credo Angelos ipsos jamdudum celebrasse. Felix hoc nomine, & omnibus prærogativis decorandus Assisiorum Aversanorum Ordo. Felix, & hæc pars, quæ tanti Viri elogio clauditur.

DEVENIMUS TANDEM AD TERTIAM PARTEM PRÆCLARISSIMI THEOLOGI NOSTRI, CUJUS INSCRIPTIO EST:

CAPITULI AVERSANI CONSTITUTIO, AC STATUS.

LUGUBRIS LAMENTATIO FLETUSQUE MŒRENS SUPER CONSTITUTIONE, AC STATU RR. CAPITULI AVERSANI.

A pag. 124. ad finem.

MAgnum operæ pretium fecisset Theologus noster, si ut in prima, & altera operis sui parte egregium se nobis purioris solutæ orationis exhibuit Magistrum, sic in tertia hac; quid in arte poetica valeret, (valet autem plurimum) significasset. Nobile poeseos argumentum non fuerat pedestri committendum sermoni: *Heroi res erat ista pedis*. Tunc enim *quidlibet audendi permissa poetæ licentia*, *augentibus omnia Musis*, feliciter eventu votis respondente, tota hæc peracta fuisset Fabula: Plaudite clamasset ille: plausus ingeminassemus & ipsi.

Maximus RR. Capituli Aversani splendor, gloria immortalis, decus æternum, si ad Canonicos, qui illud nunc conflant ad eos; quoque, qui omni tempore conflarunt, animum adjicias. Et præteritos quidem nunquam intermoritura fama commendat; præsentes vero (Deus immortalis!) quis non miratur?

Ex his *qualis*

Quantaque se nostris attollit gloria rebus! Quamplures ex his ad miraculum docti! Omnes reliqui non vulgari scientia instructi, omnes vero, & singuli compositissimis moribus, eximia prudentia, & prisca probitate spectabiles. Nullus projectæ adulationis, a qua magis, quam a morte, abhorreo, me reum peragat. Res nulli ignotas loquor.

Quæ cum ita sint, discrucior animi, dum collegio structuræ suæ vitio undique satiscenti, nullo nativæ, & ingenitæ nobilitatis decore instructo, tales, tantosque viros video aggregatos. Aliis fastis, aliis tabulis erant hi adscribendi. Vidit id Sapientissimus noster Antistes (quem nominasse, laudasse est) Excellentissimus Dominus Franciscus del Tuso, calamitatem eorum doluit, & pro virili se totum ad illos augendos, honorandos, extollendos comparavit. Quæcumque splendida, quæcumque magna, quæcumque sublimia possunt ab Episcopali culmine proficisci, in hos congessit. Felices tanto Præsule Aversani, felix, ac si cum Poëta jocari libet, *ipso Persarum Rege beatior* Canonicorum nostrorum Ordo.

His poterat esse contentus Theologus noster; at ipse totus in elogium constitutionis capituli nostri effusus, dum quidquid, & Thraso in Fabulis, *& quicquid Græcia mendax audet in historia*, longe superat, videat, ne se aliis præbeat irridendum. Etenim in tanta horti hujus egestate

Quis credet, quod bruma rosas innoxia servet,
Quod gelidi rubeant alieno gramine menses,
Verna nec iratum timeant virgulta Bootem?

Nos

Nos profecto pietatem, & officium in Capitulum suum probamus, laudamus, commendamus. Si enim, historicorum Principe teste, datur hæc venia antiquitati, ut cuncta miscendo exordia sua faciat augustiora, cur & Nostro id inurbane, & illiberaliter denegabimus?

Quamvis autem eorum, quæ ab aliis, maxime quæ a vetustis chartis, refert Historicus, se non præstet sponsorem, attamen id ipsi curandum est, ut verisimilis sit narratio, ne apud studum est, ut verisimilis sit narratio, ne apud studiosos ceteroquin homines verba facere, & incautis illudere velle videatur. Id egregie in hac parte efficiendum a Nostro arbitror.

Ergo id in primis tanquam, quid maxime eximii, & mirabilis, imo singularis loco prærogativæ Capitulo nostro apponendum censet, *quod fuerit illud exortum, antequam huic Civitati primus daretur Episcopus*, scilicet ut ipse loquitur: *Ante caput enascerentur membra* pag. 126. & pag. 128. exclamat: *Compertam habemus ante Episcopatum ipsum presbyterii Aversani constitutionem, & quidem pastorali cura decorati, ita ut peculiari prorsus exemplo Principi Senatus præiverit*.

Me terret hujus corporis acephali figura. Triste initium, & jura me edocent *difficile esse bono exitu terminari, quæ malo sunt incohata principio*.

En diffidentia in æternum a capite membra.

Omnia naturæ præpostera legibus ibunt.

Sed videamus, quomodo rationes Noster ineat. *Aversa*, ait ipse, *condita est anno* 1030. *Raynulphus Urbis parens ac fundator tantum non*

 mæ-

mœnia absolvit, cum de Ecclesia Matre construenda, ministris arcessendis, iisque largo censu ditandis cum primis cogitavit. Siquidem ex Diplomate Jordani II. anno 1121. constat Raynulphum hunc primum Aversæ Comitem complura speciosissima prædia in Ecclesiam S. Pauli Aversanam, ejusque Clerum regali plane munificentia contulisse. Raynulphus fato concessit anno 1047. Primus Aversanis Episcopus datus est Azolinus a Leone IX. consecratus anno 1050. tribus post Raynulphi obitum annis. Solum ergo presbyterium toto illo viginti ad minus annorum intervallo pastoralem curam neophytæ Ecclesiæ istius gessit.

At certissimum est 70. ad minus post Raynulphi obitum annis prima Aversanæ Ecclesiæ fundamenta esse jacta a Riccardo Capuæ Principe, & Aversæ Comite, qui Riccardus cum anno 1119. Aversani Templi ædificationem aggressus, & biennio post viam esset universæ carnis ingressus, cum incœptum opus ad exitum non potuisset perducere, Jordanus ejus filius, & suceessor absolvit, quod historicorum consensus testatur, & patet ex versibus, qui adhuc supersunt in minori janua dictæ Basilicæ:

Princeps Jordanus Riccardo Principe natus,
Quæ Pater incœpit prius, hæc implenda recepit.

Et profecto tanta, quod omnes sciunt, assiduorum moles bellorum incumbens, nondum firmata Raynulphi securitas non videntur opportunum valde locum religioni in efferatis illis animis potuisse relinquere, ut templum ingens, lon-

longum miniſtrorum chorum, largum cenſum, & alia quæ commemorantur, ſtatuere potuerint.

Si quod ergo exiguum interim templum conſtruxit Raynulphus, jam illud presbyteris ſuis, militumque capellanis tradidit; nondum enim tunc confluentium asyli, quod poſtea apertum eſt, beneficio alienigenarum copia convenerat. Res inter arma, exercitusque colluvionem gerebatur, ut neceſſe non fuerit miſſionem ſacram Presbyteris illis impetrare.

Et hæc quidem in ipſis primordiis. At vero poſt publicam rem ordinatam, poſt civium numerum novis in dies, asyli præſertim beneficio, acceſſionibus auctum priſtinis ſe res Eccleſiaſtica non potuit anguſtiis continere. Neceſſe fuit igitur Presbyteros legitima miſſione inſignitos accire. Id a viciniore Epiſcopo impetratum omnino mihi perſuadeo, ne horrendam labem contra fas, juſque omne nascenti egregiæ civitati noſtræ adſpergamus. Conjectura, quam proponit Theologus noſter, ſcilicet ab Antiſtite Neapolitano huc miſſos presbyteros mihi valde arridet; quapropter eam ab ipſomet mox refelli ægre fero; ſcilicet metuit clariſſimus vir, ne ea poſita Sedi Neapolitanæ ſubdita, vel ſaltem ſuffraganea noſtra dicenda ſit Eccleſia, quod prorſus falſum eſſe patet ex Caliſti II. Bulla ajente, quod ab *ipſo fere ſui principio Averſana Eccleſia Romanæ adhæſit Eccleſiæ; unde Romana ſibi Eccleſia eam tamquam ſpecialem Filiam ſpecialiter vindicavit*. Verum hunc πάνικον eſſe timorem res ipſa evidenter oſtendit. Sed eſt id paulo altius repetendum.

Edi-

Edixerat Can. XII. Chalcedonense Conc. *Ut si quæ Civitas, vel excisa, vel habitatorum copia fuisset destituta, jam proximus Episcopus eorum, qui reliqui essent, curam susciperet, quousque illa civitas restauraretur, vel rursus incolarum multitudine augeretur.* Porro certissimum est Atellanæ Civitati nostram successisse Aversanam, utpote in Atellano territorio constructam, & novam Atellam ab initio vocatam. In Chronico Cavensi Tom. IV. Histor. Principum Longobard. pag. 334. hæc habentur: *Extruxerunt* (Northmanni) *aliam urbem Atellam, quam postea dixerunt Adversam inter Neapolem, & Capuam, eo quod in medio adversabatur ipsis.* In Chronico quoque Farfensi apud Clariss. Muratorium Tom. II. pag. 647. extat Bulla anni 1059. cui subscriptus invenitur Gothifredus Atellanus; & in vetustissimis quibusdam membranis, idem antistes interdum se Atellanum, interdum vero Aversanum nominat Episcopum, ut fide dignissimus Tabularii Episcopali Aversani custos me fecit certiorem.

Revixit ergo Atella in nostra urbe; in illius jura hæc successit. Atellanos in consortium, societatem, gremiumque suum excepere Northmanni. In eorum solo hanc posuere; illius nomen huic indidere. Quid ergo metuimus ab Neapolitano antistite? An ex paucorum, vel plurimorum missione presbyterorum suffraganeam sibi subditamque contra receptos mores, contra ecclesiastica statuta nascentem fecisset Ecclesiam, & Civitati, quæ dominatrix surgebat, spiritualis servitutis notam ausus esset inurere? Injustus, & illiberalis, si contendisset.

Hæc

Hæc an omnino gratis asserantur, judicet lector; meliora in tanta monumentorum penuria non succurrunt. Certe hæc minus cum ratione pugnant, quam quæ affert Noster.

At ex Jordani diplomate constat Raynulphum complura speciosissima prædia in Ecclesiam S.Pauli Aversanam, ejusque Clerum Regali plane munificentia contulisse. Audivimus longum censum. At id expenderit Noster, qui pag. 138. (scilicet post tanti temporis accessionem, post tot donationes) adhuc *tenuissimos vocat Ecclesiæ reditus*. Utrumque enim ipsemet diversis licet in pag. scripsit.

Et quoniam de reditibus hîc incidit sermo, doleo Aversanos Episcopos non bene in hoc excipi a Theologo nostro. Quid enim illud, quod habet ipse pag.133. ubi sermonem habens de dissociata communione Episcopum inter, & Capitulum affirmat, quod *Istud jacuisset, nisi privati homines pro sua pietate fundos in ipsum contulissent, quibus ejus constat dos universa*: & pag. præcedent. scripserat: *Vides Castrum Patriæ, ac Lacum Episcopo, & Clero suo conjunctim cessisse, quæ postea dissociata communione in Episcopi unius potestatem cecidere*.

Ergo ne Episcopi Aversani non sua occupavere? Ergo ne Capitulum despoliavere? Nullum fœdius latrocinium; nulla magis injusta occupatio, si res sic fuisset transacta. Profecto maxime impius, qui id primus ausus esset; nequiores, qui scelerata successione alienarum rerum sibi dominium mala fide comparassent. Ergo ex Evangelio omnes fures, & latrones? Uno verbo: Omnes prorsus Aversanos Episcopos æternis crucia-

ciatibus addixiſſet avaritia. Hoc egregium dices Averſanæ Cathedræ ornamentum; hoc noſtræ Urbis & Capituli, quod commendandum ſuſcipimus, decus immortale nominabis. Verum, quod inſtat, agamus.

Si ea, quæ fuſe diſputat hic Theologus noſter, ſerio expendamus, videbimus primævos Cathedralis noſtræ Canonicos nihil revera aliud fuiſſe, niſi Parochorum urbanorum Congregationem. Et ſic quidem illorum temporum diſciplina ferebat, cum nondum a Beneficiis Ordo, & Animarum cura fuiſſent diſtracta. Eorum numerum, ait ipſe, primo illo inſtitutionis tempore vetuſtis deſtituti monumentis definire non poſſumus. At anno 1331. duodecim fuiſſe comperimus ex quadam Permutationis pagina. Dubitat autem, an hic numerus quatuor etiam Dignitates complecteretur; in quod profecto ſollicite inquirendum non arbitror. Puto enim aliam horum duodecim, aliam Canonicorum, prout poſterioribus invaluere temporibus, rationem habendam. Honeſtiſſimo illos *Parochorum* nomine indicarem, ſuaque illis jura inconcuſſa manſiſſe opinor, cum in Capitulum innumera Clericorum turba irrepſit: quod quomodo contingere potuerit, habes luculentiſſime ex Noſtro hic.

Et quidem lugubrem nimium illius Capituli faciem cernimus anno 1449. Proſtat in ipſo Canonicorum Archivo luculentum illius anni monumentum, cujus hæc ſunt verba: *Cum Averſana Cathedralis Eccleſia a ſuo principio exilibus fuiſſet, & ſit dotata reditibus, quoad communem Canonicorum, Clericorumque menſam licet ii ſint diverſis gradibus, voce, loco, &*

quo-

quotidianis distributionibus distincti, tamen nec distinctus extitit numerus Canonicorum, nec Beneficiatorum Clericorum, nec etiam Præbendarum distinctio, aut ordinatio habetur. Et nonnulli ex antecessoribus Episcopis propter petentium importunitatem tot, & tantos Canonicos, & Clericos beneficiatos in ipsis gradibus instituerunt, & ordinaverunt; quod quasi sic ipsorum excrevit immensitas, ut nequeuntes se ex Ecclesiæ proventibus exilibus substentare Ecclesiam ipsam deserentes, victum propriis manibus quærere compellantur, & ad regimen Ecclesiarum Casalium Diœcesis assumantur, magno cum Divini cultus detrimento, ideo dominus Jacobus Episcopus Aversanus convenit cum suo Capitulo, & statuerunt, quod Canonici sint decem, & octo, inclusis in eisdem Decano, Cantore, Archidiacono, & Subcentore.

Ne tamen in minimum Capituli nostri dedecus id vergere quis suspicetur, imo magnæ hoc illius gloriæ adscriptum volo. Ecquis enim ignorat, quod

. . . . Dissuasor honesti
Luxus, & humanas oblimat copia mentes;
Provocat, ast segnes animos, rerumque remotas
Ingeniosa vias paullatim explorat egestas.

Ecquis enim ignorat quod

Semper inops quicumque cupit . . . .

Et quod

Vivitur Exiguo melius; Natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.

Ast quid hîc Poesis? Cur adeo frequenter importuna irrepit? An quod apposite hîc per Theolo-

logum nostrum erat agendum, ineptissime ineptus ego aggrediar? An potius ingentem mœrorem meum ex illa, quam commemoraturus sum tanta RR. Capituli Aversani (quod ego maxime diligo) calamitate conceptum Musæ levaturæ occurrunt non evocatæ, meque incommoda viginti & octo dierum (tot enim sunt, ex quo has nænias imprudentissime occentare cœpi) scriptione labefactatum, immodicisque his, fervente æstate, caloribus perustum, erigendum refrigerandumque suscipiunt?

Quid tibi venit in mentem, Petre Ursine, nova illa ordinatione, melius dicam inordinatione RR. Capituli Aversani? Siccine per te *egressus est a Filia Sion omnis decor ejus? Abstulisti omnes magnificos a domo Domini*. Habebamus in pauperculo illo S. Pauli Collegio egregiam antiqui presbyterii imaginem. Jacobus enim, qui supra Episcopus, decem, & octo Canonicorum numero Capitulum definiverat; his, quod consequens erat, Animarum cura concredita. Hi Urbani illi Parochi, quos tantopere vetusta extollunt Concilia, tantamque supra ceteros Presbyteros omnes eminentiam tribuunt. Hos sollicitudinis pastoralis socios bonos ille Jacobus sibi adscivit. Hos partem magnam Episcopalis celsitudinis dixissem, cum horum consiliis, curis, laboribus, Ecclesiasticam rem stetisse nullus dubitaverim.

At quæ (malum) intemperiæ Petrum Ursinum antistitem Aversanum in Collegium S. Pauli incitarunt? Is anno 1597. novam invexit formam, quæ Capitulum illud perdidit, possumdedit, delevit. Canonicos, quos *Dignitates* vocant, actuali Animarum cura spoliavit; inferioris ordinis ministros

niſtros duodecim Canonicis adſcripſit; miro calliditatis invento totum illud corpus arctiſſimo ſervitutis vinculo ſibi, ſuiſque in æternum ſucceſſoribus fecit obnoxium. Hæc Urſinus.

Heu furiis incenſus agor; mihi terra dehiſcit. Excelſum illum Dignitatum gradum Canonicos tenentes Animarum actuali cura ſpoliare? Proh nefas! Hos ipſos ſpoliatos ludibrium exhibere Vicario Curato? Placuit enim in unum hunc Vicarium omnia Parochialia jura transferre, & decerni, ut Dignitates illæ hunc adjuvare ipſo jubente Vicario tenerentur. Hui! Ad nutum ergo Vicarii excelſæ illæ Dignitates! Quid ſi Decanus Animarum zelo fervens pueros rudimenta fidei Quadrageſimæ tempore velit in principe templo edocere? Vicarii negligentiam vel inſcitiam emendare? Expellet illum Vicarius Curatus: quomodo huc intraſti, inquiens non te juſſi. Res non ignotas loquor. Factum id ævo noſtro, & ad Eccleſiaſticum tribunal lite delata ſententia ſecundum Vicarium lata eſt.

Ergo Archidiaconus fratris ſui filiolam non baptizabit; non aderit præcentor, non ſubcentor nuptiis ſororis, vel fratris ſui benedicturus, quia vetat Vicarius Curatus. Epiſcopus interdicet illis jure confeſſiones excipiendi Sacramentales; idque non novum, neque inſolens.

Ego maximi ſemper feci Theologum noſtrum propter ejus ſummum ingenium, tamen ex his, quæ occaſione Sipontini Capituli ſupra attexuit (ubi de Animarum cura dignum tanto viro ſenſum ſuum aperuit) tantum acceſſit ad exiſtimationem, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videba-

tur.

tur. Probe intelligit ipse quanti sit Animarum cura; & idcirco Canonicis ademtam tam frequenter ingemit, queriturque.

At vos RR. Canonici (mortuos alloquor, & vide hominis stultitiam, quem in mortuos vis doloris urget) cur non magis luctum habuistis, dum talia moliebatur ingentis animi vir Petrus Ursinus? cur non junctis viribus omni conatu objecistis vos murum pro Capitulo? ita ne vobis illudi passi estis? Et quas obsecro tantæ innovationis justas causas afferre potuit Episcopus Ursinus, ut ab illis moribus, qui tot sæculis invaluerant, ab eo jure, quod justissimum per tot annorum spatia visum erat, juste recederetur, nisi vestram... Quid dicam?

Ergo ne vilis visa est Canonicis illis Animarum cura, herile otium sanctis laboribus præferendum censuere, nec viderunt stulti quanto vulneri in Capitulari corpore inde locus. Picas, & Corvos (ecquid enim aliud relictum Canonicis, Animarum cura sublata, nisi strepere?) impune in Capitulum referet, si placet, Ursinus. Non sit alicui incommoda sessio; loqui possit ille, hunc egregium habebimus, Ursino dante, Canonicum.

At (veritati suus constet honor) non omnes Canonici id æquo animo tunc tulere. Horum nonnulli (maxima hæc laus) ut Sacerdotes se esse monstrarent, & libentissime, quæ sacerdotis sunt, arripere, se Parochis adjunxere, & auxiliatrices his in Parochiarum regimine manus porrexere. Sic in Libris Parochialibus Ecclesiæ, cui servio, S. Andreæ Apostol. invenio RR. D. Maurum dell' Amorosa Canonicum Presbyteralis Ordinis

dinis Æconomum agentem in dicta Ecclesia sunt & in aliis hujus Civitatis Parochialibus Ecclesiis exempla hujusmodi.

Mirantur quoque nostri Canonicorum tunc temporis facilitatem, qui nihil commoti sunt de XII. illorum inferioris ordinis ministrorum exaltatione, nec intelligunt, quî fieri potuerit, ut non viderint boni illi Canonici, quantum de sua dignitate decederet ex multiplicato Canonicorum numero, cum *ipsa multitudo*, ut Tertullianus ait, *sit vilitatis argumentum*, & optimum quodque rarissimum sit. Indignum quoque videbatur XII. illos, qui in quarto Stallo sedebant ad primum, non indignantibus illis, adscendere, & venerabile CANONICORUM nomen sortiri.

Audivi & nonnullos indignantes, clamantesque, o imbecilles semper Canonici Aversani! saltem aliquid juris usurpatione, contentione, præscriptione, dolo bono, astu, calliditate, furto, rapina (quid amplius) vobis comparavissetis. Nihil omnino? Penitus spoliati, egentes....

Habent nonnihil dignitatis alia alibi Capitula. In aliquibus Archidiaconus jure suo in promovendorum mores inquirit. Eos dum ordinibus initiandi sunt, multis ante diebus Episcopo præsentat; probandos, vel improbandos significat. Item eminet inter Examinatores Synodales in Candidatorum ad vacuas Parochiales Ecclesias implendas experimentis (*concursus vocant*) & duplici gaudet suffragio. Alibi Canonicus Thesaurarius perpetuus est, & suo Marte rem gerit. Est alibi Canonicatus, cui Monialium cura est adnexa. Nihil ibi Vicarius Generalis sibi arrogat. Sunt & Capitula, in quibus ipsi Canonici ali-

 quibus

quibus mensibus vacantes Canonicatus his, qui sibi placeant, inconsulto, & sæpius invito proprio Episcopo, conferunt, placitosque Confratres sibi adsciscunt.

Quid horum in nostro perillustri Capitulo? Adinvenit Ursinus (forsitan divini Numinis afflatu, idque publico bono; hoc enim hujus urbis indoles, moresque postulabant) viam, qua sibi totum Aversanum Capitulum perpetuæ servitutis vinculis devinciret, Canonicosque bene subactos suis obnoxios traderet successoribus. An non arctiori compede gravantur, majorique terrore premuntur Canonici Subdiaconi, & Diaconi ipsis minoribus Clericis? His iratus si forte Episcopus aditum ad majores Ordines intercludit, habent illi, quo se solentur ad secularia vota regressum; non adeo cruenta injuria est. At qui impatientis animi motus, quales ejulatus, & querimoniæ, quot in omnibus conventibus & apothecis susurri, si Subdiaconus, vel Diaconus ille Canonicus ad Presbyteralem Canonicatum non evehitur? Cogita ambitionis virus; expende lucri intertrimentum; cerne alium te minorem ad altiora conscendere; ob oculos tuos res agitur; saltem abesses; at quotidie cogeris adesse. Ubi lacrymæ quæ tantæ deflendæ calamitati pares sint?

Dic obsecro, quid intentatum relinquet Subdiaconus ille, aut hic Diaconus Canonicus? Hunc trepidare, concursare, præsto esse, assentiri . . . Ille venali lingua gemino Trojæ bellum exorditur ab ovo: in omnia se vertit miracula rerum. Hem! Stallum non mutat: infamis manet. Jam vero Presbyter Canonicus dies numerat senioris illius, qui Dignitate, ut vocant, potitur.

Inqui-

Inquirit ſollertiſſime in ejus valetudinem. Aſt Presbyter iſte Canonicus imperitus eſt, vappa eſt. Nihil id incommodat, quandoquidem ablata eſt Animarum cura, ingens inde Præſuli facultas, cui vult, gratificandi. Ingens ſpes ipſi Therſitæ ad primam, imo, quod magis placet, ad ſecundam dignitatem evolandi.

Hæc injuſtiſſime dici ipſe ſentio. Ecquis enim in generoſos pientiſſimorum animos Canonicorum noſtrorum hoc cadere poſſe ſuſpicabitur vilis animi vitium, ut tantá ſe velint ambitionis labe fœdari, quæ ipſos in æternum perdat. Ego tamen dicere volui talem eſſe Capituli noſtri conſtitutionem, hunc ſtatum, ut ſatis ampla peccandi ex hac parte præbeatur materia, & fortia ad delinquendum, incitamenta, incautis objiciantur, adeoque niſi bene firmata, & undique tuta Canonicorum noſtrorum probitas conſiſteret, certe in his non mediocriter illa offenderet ſæpiſſime.

Vides interim quam iniquo loco res poſita ſit. Vides, qui laquei Epiſcopo tendantur. Niſi hic vir ſit, niſi heroica præditus virtute, quomodo ſe a diabolicis ambitioſorum artificiis expediet? Sed immortales Deo gratias agere debemus, quod eum nobis Antiſtitem dederit, ad quem perfidia acceſſum habere non poteſt: qui juſto pondere cuncta expendit, qui ſingulari ſapientia columbæ ſimplicitatem cum ſerpentis calliditate mirabili nexu conjungit, nec blaſphemetur facit nomen Domini, ut ipſi perditiſſimi viri exclamare cogantur inviti de tanto Epiſcopo: *Bene omnia fecit*.

At quid ſi præſtantiſſimo hoc noſtro Epiſcopo

ad altiorem gradum evecto, primisque, ut dignus est, Ecclesiæ ministeriis admoto, alius nobis detur Antistes, quem invidiosæ delatorum insusurrationes in Capitulum incitent? Quonam se jure Capitulum tuebitur? Canonicos omnes ille ex Episcopali Palatio fugabit; illis jure excipiendi sacras confessiones interdicet, & qui maximus terror est, arcebit longe Latio, h. e. a Monialium monasteriis, nec sacrum quidem in harum Ecclesiis illos facere permittet; censura in Clericorum mores spoliabit; auferet quæcumque honoris speciem præseferunt. Poteritne Capitulum hiscere? jus, vel saltem consuetudinem prætendere? Scimus quomodo Aversani Episcopi rem gesserint. Consuetudine nil Canonicis nostris datum.

Nolim laudis loco Capitulo nostro apponi, quod memorat doctissimus Noster, scilicet quod quo tempore eligendi Episcopi Capitulis facultas erat, Canonici nostri in alienigenas suffragia contulerunt, sicque postulante Capitulo inaugurati sunt in Episcopos Aversanos Adam de Bingo Ambianensis Diœcesis, Petrus de Bolonnesio Canonicus Bellovacensis, Joannes Barensis Cantor; in quo nostratium modestiam commendat Theologus noster.

Verum diceret quis cum S. Ambrosio: *Non mediocris invidia proditur, quæ civicæ caritatis oblita* in alienigenas, suis neglectis, causas amoris, & benefacta convertit. Dispeream, si de nomine saltem noti erant Canonicis nostris hi, qui commemorantur. In manu forti educti illi de angustia locorum huc advolarunt. At Canonicis nostris postulantibus. Utique, vi tamen cogente

... *Suf-*

. . . . Suffragia quippe peregit
Judex illa timor; victum ratione salutis
Justum, & depulsum jacuit formidine rectum.

Si hoc non placet, habes aliud, quod me tacente probe calles.

Mirabilius illud, quod de FEUDALI JURE additur, scilicet *Simon Sclavius habitator Aversæ se & alios antecessores suos fuisse homines confitetur* CONGREGATIONIS S. PAULI.

Hoc non vota pati, non fingere somnia possent. Verum hoc ipse Theologus, dum ædificat, destruit: recolat, quæ scripsit pag. 134. ubi memorat: *In Cathedralibus Ecclesiis duo conflata corpora, Canonicorum scilicet, & confratrum Clericorum; illa constanti vocabulo Collegia dicta, hæc Congregationes:* nec excidat memoria, quæ scripsit pag. 136. ubi relato quodam instrumento anni 1142. infert: *Quid quæso evidentius desiderabimus, ut in eadem Matrice Aversana, Congregationem scilicet, & Collegium fuisse agnoscamus, illam Clericorum Congregationi inscriptorum, qui* FRATRUM *vocabulo veniebant; hoc Canonicorum a Congregatione memorata immane quantum dissimile.*

His positis, ecce anno 1223. *Simon Sclarius habitator Aversæ Civitatis se, & alios antecessores suos fuisse homines confitetur Congregationis Ecclesiæ S. Pauli &c.* pag. 141. Quid Congregatio cum Capitulo? Ergo Clericorum Congregationi jus Feudale hic adjudicatur. Et argumentum probat nimis. Paupercul̄æ Congregationi Clericorum jus Feudale?

 At

At fortasse desierat tunc CONGREGATIO CLERICORUM. Omnia in Capitulum concesserant; ipsum quoque nomen non ea, qua prius accipiebatur, notione? Minime quidem. Consulat seipse Noster pag. 136. ubi hæc habet: *Et hi quidem Congregationis Fratres Clerici uno inclusi domicilio vitam duxisse videntur; nam supererat adhuc anno 1226. domus & palatium memoratæ Congregationis; nimirum eo prorsus anno Thomas de Nigra Aversanus offert prædictæ Congregationi annuum reditum tarenorum quatuor*. Florebat ergo anno 1226. Congregatio Clericorum. Sclavius anno 1223. se suosque antecessores fuisse homines confitetur Congregationis Ecclesiæ S. Pauli; ergo non Capitulo, sed pauperculæ Clericorum Congregationi jus illud adjudicandum. Hoc quis feret? Notum ceteroquin, quo sensu hæc sint accipienda.

Miratur nitidissimus Historiographus P. Orsi, quî fieri potuerit, ut luce Evangelica ubique rutilante sexto incipiente sæculo in Montis Casini cacumine adhuc & Apollinis simulacrum a montanis illis coleretur, & Idolatria in ipsis portis, si ita loqui fas sit, Romanæ Urbis (quæ Religionis centrum) grassaretur. At quid dixisset audiens doctissimum Nostrum Aversanæ Urbis ornamenta recensentem, id summæ illius laudis loco ducere, *quod numquam fuerit Idololatrica superstione polluta, quod in Christi Fide fundata fidelis in ipso suo natali surrexerit*.

Hem! Hoc scilicet deerat nuperæ Civitati undecimo sæculo extructæ, ut etiam Idololatria fœdaretur. Et ubi tunc Idololatria in tota Italia? *Ast nequeunt*, inquit, *aliæ Civitates hoc se nomine*

mine gloriari; fuerunt enim aliquando Idololatria pollutæ.

Quando? Scilicet in illo tempore quando nondum magnum illud Pietatis Sacramentum, Filii Dei Incarnatio, fuerat peractum, antiquissimæ Civitates Idololatriæ dominanti tunc religioni inserviebant.

Libentissime Theologum nostrum in nostræ Civitatis laudes effusum accipimus. Pugnamus & nos pro Patria, & confidentissime; quandoquidem fato concessit festivissimus Sannazarius, nec potest doctissimo Nostro ingerere, quod Poggio Florentino:

Dum Patriam laudat, damnat dum Poggius hostem
Non malus est civis, nec bonus historicus.

Utinam alios a Northmannis habuissemus parentes; fuissent aliis manibus hujus Urbis mœnia extructa. Fuit illis in deliciis honesto utile præferre; hinc insignes fædifragi, ignotum, nec sanctum apud illos amicitiæ nomen. Est id historici poetæ contestatione notissimum. Consonant coævi Scriptores.

Hæc tamen non incommodant; moribus enim, & virtute homines censemus, nec superstitioni locum damus. Quid enim accepta a majoribus decora proderunt, si degeneres ipsi inveniamur?

Ceterum habet nunc Aversanum Capitulum egregium, quo jure se jactet; & super alia omnia se efferat decus, doctissimum Canonicum Theologum D. VINCENTIUM PESCE, quo nostra

Urbs alias inter caput hæc tantum extulit Urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi;

Rejicimus hinc Tragicum canentem:
Ultima cæli sidera Pisces;
Etenim hujus nostri sunt maxima,
Primaque cæli sidera Pisces.
Amplissimæ laudationis rerum nostrarum Argumentum is unus esse potest, idque satis, & omnium instar. Est enim Theologus hic Vir ingenio maximo, & systematico, dignus, qui omnium judicio prædicetur (ut de S. Isidoro Toletana Synodus) Doctor egregius, in sæculorum fine doctissimus, & cum reverentia nominandus.

EXCITATORIUM,

AD PAROCHOS URBANOS

LUSUS PASTORALIS.

RES agitur vestra, o Socii, jam proximus ardet
Upilio; en Lycidæ vastis magalia flammis
Collucent propius, Boreasque incendia miscet;
Jam penitus totam Arcadiam considere in ignes
Adspiciam; properate citi, mora nulla, furentem,
Pastores, talem a caulis avertite pestem:
Sit monuisse satis. Quid majus namque Menalcas
Ipse senex possum? Rebus succurrite lapsis,
Vos juvenes, quibus in viridi stant corpore vires;
Vos o vos, servate gregem, servate bubulcos
Vos lacrymis affusa genas, laniata capillos
Nomine quemque vocans Amaryllis spectat, & agnos,
Heu niveos agnos vobis, fœtasque capellos
Commendat. Clamantem quisnam Amaryllida spernat?
Si vos tanta tenent vestrarum oblivia rerum;
Nullus amor pecoris tangit, si vilis habetur
Mulctra, tridens, liquidi, vel pressi copia lactis,
Ast donum egregium cæli, quo tota superbit
Arcadia, exultantque audito nomine silvæ,
Respicite o saltem lugentem Amaryllida; cunctis
Gaudeat illa suis calathis, rubrisque lapillis,
Incolumesque suas servet bene tuta corollas.

RESPON-



RESPONSIONES AD APPENDICEM THEOLOGI NOSTRI.

CUm adhuc sub prelo essent postremæ hujus Opusculi pagellæ, allatum est Clarissimum Theologum nostrum Appendicem quandam ad Librum suum edidisse. Illico Typographum monendum curavi, ut manum de tabula, donec quid illud rei esset, viderem. Vidi; lætatus sum. Divinando conjeceram Theologum nostrum ejuraturum aliquando, quæ de forma Regiminis Ecclesiastici scripserat pag. 8. Factum. Vide quam splendide de Petri Pontificio, deque Romana Cathedra hic loquatur. Ad Italorum Theologorum calculos, quos abjecerat, eum rediisse patet: *Nimirum* (sunt ejus verba pag. 152.) *non aliter schismati, ac dissensionibus, quæ forte oborirentur, obviam iri poterat, nisi uno Capite, unitatis Centro, constituto, ac MONARCHICI Regiminis forma.*

Gravissime totum Clerum affecerant, quæ de Jure Presbyterorum in Controversiis Fidei attexuerat. Prædixi eum in Pianæ Bullæ aspectu manus statim daturum. Aspexit. Manus dedit; luculentissime rectum suum sensum hic aperit. Scio pientissimos homines adhuc desiderare hîc solitam Theologi nostri Christianam humilitatem. Voluissent

sent hi, ut Noster errati sui ingenuam edidisset confessionem; se quæcumque in eam sententiam dixerat, velle indicta habenda; neque ad *Incompletam Potestatem* (ridiculum sane effugium) se recepisset. Ast ego de Theologi mei fama sollicitus, his repono, illum veritati, & muneri suo cumulatissime satisfecisse. Ceterum Lectores meminerint oportuisse Theologum nostrum magnum Oratorem insistere vestigiis Oratorum maximi, qui sic de se Lib. II. de Orat. *Confiteor me si qua premat res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abjecto, sed ne rejecto quidem scuto fugere videar; sed adhibere quamdam in dicendo speciem, atque pompam, & pugnæ similem fugam. Consistere vero in meo præsidio sic ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cessisse videar.*

Sed his omissis, illud certe nullo pacto ferendum nobis videtur, Theologum nostrum perstare adhuc in sua sententia de Presbyterio in Canonicos transfuso: *Siquidem*, inquit, *hujus occasione disputationis illud in nos intorqueri audio; cum nimirum vetus Presbyterium asseruerimus solis Animarum curatoribus constitisse, idest Parochis, Parochos, quibus solis Animarum cura hæsit, non Canonicos, qui illam diu jam abjecere, illi Presbyterio, ejusque Juribus legitime successisse. Quod vere dici videretur, si vetus Presbyterium, Canonicosque antiquos sola Animarum cura constitueret; quod nonnisi falsissime affirmari potest.*

Itane? *Falsissime?* Quam pronus est Noster in brutis fulminibus jaciendis! Salmoneum in fabulis notissimum mihi videre videor. Huic jocose

ſe ingereret Eraſmus: *Si Deus eſſes, nos omnes ad Tartarum detruderes*. Verum quæ ipſe *falſiſſime*, nos veriſſime dici in toto Opuſculo evicimus. Adeat §. III. Part. II. ubi pleniſſime confutata inveniet omnia, quæ hîc habet.

Sed quæ eſt iſta, rogo Te, tam ſubita, tamque mirabilis mutatio, ut ab Animarum curatoribus in Canonicos Animarum cura ſpoliatos evolarit Presbyterium? Idem Epiſcopus, iidem Curati, idem Regimen; nihil acceſſit, nihil deceſſit; neque enim quidquam accidit, quod Presbyterii naturam intrinsecam immutarit, vel cur iſtud id eſſe, quod antehac fuit, pœnitere debeat. Presbyterium totum quantum erat in Animarum ſalutem cum Epiſcopo incumbebat. Incumbunt nunc Parochi. Presbyterium unum cum Epiſcopo corpus conflabat. Conflant Parochi. Horum cum Epiſcopo neceſſariam conjunctionem audiet mox ab eodem, quem in deliciis habet, & ad quem paulo poſt confugit Noſter, non ignobili Theologo Ludovico Habert. Dic quid, amota Animarum curatione, regiminis, quid negotii in Eccleſia Prælatis ſuperſit? Nempe hoc totum, ut ad ſalutis æternæ portum Animæ in hoc ſeculi pelago fluctuantes dirigantur. Qua ergo via Canonici noſtri, quibus nullæ oves concreditæ ſunt, quos nulla ſacræ doctrinæ tradendæ attingit neceſſitas, quibus nullum ex vi muneris ſui Sacramentorum miniſtrandorum onus impoſitum; uno verbo nullus ad ſacratiſſima illa penetralia Paſtorum propria patet acceſſus, in Presbyterium irrepent? Nemo eſt adeo vafer præſtigiator, qui id mihi perſuadere poſſit. Quod ſi alia munia, peregrina illa quidem, & dicam modeſte,
regi-

regimini ipsi ἀδιάφορα, & ἐξωτικὰ huc revoces, vide ne HUMANAM, quod Cyprianus initio memoratus detestatur, Ecclesiam facias. Tædet semper eadem recantare. *Ne ultra crepidas sutor*. Canonicas horas voce, & corde psallant Canonici. Hoc unum eorum munus. E Presbyterio seipsi ejecere, dum Animarum curæ nuntium miserunt. Hæc unus veri amor, & susceptæ disputationis ratio a nobis expressit.

Est maxime molestus Theologus noster, dum hîc a pag. 173. dulcissimum illud somnium suum (an toties de eadem re audiemus?) nobis narrat verbis illis: *Ceterum etsi Canonici hodierni Ministeriali, ut ita dicam, Animarum curæ nuntium miserunt, eminentiorem tamen curam retinuere. Si enim Episcopo in Pastorali sollicitudine, sive consilio, sive consensu præsto esse debent, non id est nobiliori quodam modo, non unius Parœciæ tantum, sed Diœceseos totius talem gerere curam, qualem gerit Episcopus ipse?*

Evigilabit Noster, si quis in aures Ei insusurrabit, nonnihil de his, quæ nos majore voce clamantes, attulimus. Irascitur tamen, ut ad me delatum est, Theologus noster Parochis. Hos injuria conqueri, nec nisi injustissime Opusculo suo litem intentasse clamat, & in nullo læsos, illiberaliter tantas excitare tragædias; Episcopos potius, ait Ipse, nonnihil potuisse commoveri; Parochos nequaquam.

O bone vir, tantumne de Parochorum stupore tibi promiseras? An quod hîc habes Parochialem dignitatem penitus non evertit? *Si Canonici Animarum cura spoliati, adhuc tamen Parœciarum*

ciarum totius Diœcesis eminenti quadam, ac generali sollicitudine, ac regimine, eo nimirum, quo Episcopus ipse tenetur una cum eo ex vi sui ministerii obstricti sunt, & devincti, jam sunt Parochi sub regimine Canonicorum; Canonicis præcipientibus subditi obtemperabunt; hos vice Dei supra caput suum positos reverebuntur. At quo Sacramento obstricti? Quando se illis devovere? An non sufficit unus Prælatus? Graviore sub regno, multiplicatis dominis, ærumnæ increbrescent, & superbe imperabitur? At, inquit, *Canonici præcipiunt sub Episcopo, una cum Episcopo*. Itane bardi illi, ut id, quo tendat, non perspiciant? Ergo celeripes ille, (vulgo Cursor) dum ad me Episcopi mandata perfert, dicam me esse sub regimine Celeripedum?

Verum, quod magis mirari subit, ad Ludovicum etiam Habert nos provocat. Sed is loco, quem laudat, scilicet cap. VI. (non 7. Typographi error est) ea de Parochis habet, quæ si ipse audiet, non mediocrem animi mœrorem inde capiet. Ea hîc perstringamus; neque id omnino inutile, quandoquidem jubente Excellentissimo Antistite nostro, Theologiæ Candidati Clerici nostri, sive in florentissimo Seminario, sive extra hujus Theologi scripta terunt, eaque illis optimi Magistri explanant.

Is igitur principio Capitis illius cum dixisset: Ex Presbyteris alios potestate jurisdictionis ordinariæ gaudere, ut Curatos seu Parochos, alios carere, quales plerique, qui ordinantur sub titulo Patrimonii, aut paupertatis, ut Monachos, & Religiosos, addit posteriores locum non obtinere in Hierarchia, nisi modo imperfecto, *utpote qui*

non

non habeant Subditos, quibus imperent, quosque ex statu suo, seu proprio officio ad DEUM *adducere teneantur. Contra vero* (sunt etiam ejus verba) *priores positi sunt regere Ecclesiam Dei, & pascere Gregem Christi, subditos habent, in quos Sacrum Principatum perfecte exercent, ac proinde Ordo eorum est vere, ac plene Hierarchicus.* Vides expungi ex Hierarchia Canonicos.

Propugnat: Parochos esse institutionis divinæ, & ex permultis tum S. Scripturæ tum veterum Scriptorum testimoniis rem conficit; confirmatque ex Trid. Sessione 23. Can. 6. *Concilium definit* (en ejus verba) *in Ecclesia Catholica esse Hierarchiam Divina Ordinatione institutam, eamque constare Episcopis, Presbyteris, & Ministris: Atqui Presbyteri eo loci non possunt intelligi, nisi Parochi, siquidem alii vel jurisdictionem habent, vel non: Si primum, ejusmodi jurisdictio est delegata, ac proinde non eis competit jure Divino, sed ex Episcoporum beneplacito, nec sufficit ad constituendam Hierarchiam, ut diximus cap. II. Si secundum, subditos non habent, nec proinde Sacrum Principatum exercent.* Iterum exulare jubentur a Hierarchia Canonici.

Tenet: Jurisdictionem Parochorum esse immediate a Christo, & multis in hanc sententiam adductis subdit: *Quare qui Parochum spernit, Christum spernit, & qui potestati ejus resistit, Dei ordinationi resistit, a Deo quippe est potestas illa quoad institutionem primariam, & ideo divina ab omnibus* (audiant hæc, & intento digito notent, si qui Canonici, qui secus

sentiunt)

sentiunt) *eujuslibet gradus veneranda, sed ab Episcopo imprimis sovenda, ac tuenda, utpote sibi maxime necessaria; quomodo enim caput etiam valentissimum ad nutum movebit corpus, si organa sint impedita? Sic se haberet sanctus, & multi laboris Episcopus, si potestas Parochorum iners, & veluti laxata jaceret; totaque Diœcesis tanquam corpus Paralyticum sub sano capite cerneretur, nisi intensa, ac nervosa Parochorum auctoritas, & sollicitudo votis Episcopi obtemperaret.*

Pergit paucis interjectis: *Inde etiam discant Parochi, quæ cum Episcopo debeat esse eorum conjunctio, quæ animorum consensio, quæ communicatio spiritus, nimirum qualis requiritur caput inter & membra organica ad corporis unitatem, valetudinem, & pulchritudinem: etenim membra capiti non cohæreant, corpus non erit unum: laxata sint, & a suis sedibus mota; corpus erit deforme: influxum a capite non recipiant; obstructis spirituum meatibus, deficiet virtus corporis, & actio. Talem cogita Ecclesiam, nisi membra ejus non solum fidei, sed & caritatis vinculo constringantur. Si enim Pastores privatis studiis a se invicem diffideant, non erit una; si ordo inter eos a Christo institutus, & apta eorum compositio non servetur, peribit decor ejus, & formæ Hierarchicæ dignitas; si alio, quam capitis, spiritu ducantur, non stabit divinum illud robur, adversus quod portæ inferi prævalere nequeant.* Hæc omnia Ludovicus Habert.

Vides solis Parochis conjunctionem illam cum Episcopis tribui: vides Parochos esse membra

Episcopi: vides in hos solos Ecclesiæ regimen sub Episcopo incumbere. Quæ si vera sunt, quomodo stabunt, quæ ipse Habert, & ex eo Theologus noster propugnant de Senatu Episcopi in Canonicos Animarum Cura carentes translato? Sint (liceat per nos) Canonici Senatus Episcopi eo tamen sensu, quem initio nostri Opusculi posuimus.

Fastidiosi essemus, si quæ de Jurisdictione Capituli, Episcopo e vivis sublato, fusissime disputavimus §. XIII. Par. II. hic regerere vellemus. Ea fortasse demonstrabunt non esse *ad miraculum præclarissima*, quæ ex Card. de Luca in Adnotatione hic affert Noster, & somnia illum narrare, dum totum jus Cathedraticum tam in *Habitu*, quam in *Exercitio* remanere penes Capitulum confidentissime affirmat. Nimirum hæc evertuntur ex his, quæ de Visitatoribus, seu Interventoribus Noster ipse commemorat, quibus frigide occurrit, dum clamat *illam Disciplinam nec semper, nec ubique viguisse*; nec videt interim quantum causæ suæ incommodent illa, quæ ipse ultro fatetur de Africa, & de Gallia &c. & de Metropolitis; quasi tot SS. & doctissimi Episcopi non viderint illam *consolidationem*, *illudque jus non decrescendi*, quod arcessit Eminentissimus de Luca, dum dicit, *quidquid illud nunc sit Capituli, non ex Privilegio, vel speciali delegatione, sed ex ipsius rei natura descendere*.

Desinat interim Noster Capituli potestatem, Sede vacante, urgere. Detur id necessitati quoad illum unicum actum, de quo nos fuse loco cit. An Pontificia Sede vacante affirmaveris

po-

potestatem, quæ in Pontifice erat, ad Cardinales recidere, quasi integrum sit his novos Religiosos Ordines probare; in Sanctorum numerum aliquos referre; anathemate falsas doctrinas percutere, & alia hujusmodi? Nihil prorsus: ad solam Pontificis electionem fas est illis devenire.

Grave at nobis est excidisse memoria Theologo nostro Capitula tunc temporis ex Parochis, tota quanta erant, constitisse, Parochosque Presbyterium illud conflasse. Id ipsemet disertissime sæpius fassus est; atque proinde dum memorabili ausu ad nostros Canonicos detorquet, quæ de Presbyteris Animarum cura insignibus, Canones, priscique Antistites prædicant, caveat, ne apud irritabilem Prætorem ii, quorum interest, ipsi diem dicant.

Verum id fortasse metuens Noster in munitissimam arcem se recepit, postibusque hanc affixit denuntiationem: *Totius rei summa* (sic ipse pag. 176.) *huc redit demum. Ab Apostolicis usque temporibus Ecclesia senatum habuit Presbyteris compactum, Episcopo suo assidentibus... sed Tridentinis PP. fixum, ratumque est hunc locum, hunc senatum hodiernos Canonicos implere. Hi igitur veteri illi Presbyterio succedunt legitime, inque hos illorum jura, ac privilegia hæreditario quodam titulo transfunduntur.*

O ineluctabile argumentum! plane Achilles est invincibilis; jugulum petit. Nuper scitulus quidam clericus adolescens minoribus Ordinibus initiandus, rogatus ab Examinatore, An Ostiariatus esset Sacramentum, omni asseveratione affirmavit, addiditque Catholica id Fide tenen-

dum. Obstupuit Examinator. At ille: Ecce tibi ἀποδεικτικὸν argumentum. De Fide est Ordinem esse Sacramentum, gratiamque conferre. Florentinum dubitare non sinit. Sed Tridentinum sub anathematis pœna edicit Ostiariatum esse Ordinem. De Fide ergo est. Ostiariatum esse Sacramentum. Risimus omnes. Dispeream si dissimile sit Theologi nostri argumentum.

Sed jocis omissis admittimus Senatum illum, quem ab Apostolicis temporibus Ecclesiam habuisse commemorat; dicimus illum ex Parochis fuisse conflatum. Negamus Tridentinis PP. fixum, ratumque esse hunc Senatum, eo sensu quem accipit Noster, hodiernos Canonicos implere. Secum ipsum pugnaret alias Concilium. Ostendimus §. XI. Par. II. Quid de hodiernis Canonicis Tridentinum compositissimis litteris expresserit. Ex illis patet non solum laticlavium, ut Senatoribus, sed & annulum, ut Equitibus fuisse Canonicis nostris detractum, ut nec Senatores, nec Equites sint illi his temporibus censendi. At vocat *Senatum*. Habes in nostræ I. Partis principio, quomodo id accipiendum. Hierusalem post Deicidium *Sanctam Civitatem* vocat Evangelista.

Fortasse commotus est Noster, & ex arce spem conventionis nobis injicit. Libenter accipimus. Non enim nos contentiones, non bella delectant, & dum arma apparabantur, nunquam non pacem potius optabamus, canentes cum Poeta?

O ducum cunctis potior triumphis
Alma Pax nobis comitata faustis
Gaudiis adsis, relevans profundo
Pectora morbo.

Audi-

Audimus jucundam vocem Noſtri: *Hæc cum affirmamus* (ſic ille pag. 175.) *non illud nobis propoſitum eſt, ut noſtrates Canonicos contentione facta Parochis anteferamus, aut hos illis viciſſim . . . . . . Parochos animarum cura extollit, quæ ſane dignitatum ſumma eſt, quæ ſupra myſticum Chriſti Corpus mortali homini conferri poſſit.* Beaſti. Satis hæc; ne alterum quidem, amabo te, verbum adjicias. *Si ſumma dignitatum* Parochos exornat, age, habe Canonicis tuis quidquid libet. Accurre ad Tullianæ eloquentiæ flumina, ut hos prædices; invoca in eos, qui de his non alte ſentiunt, Demoſthenis fulmina. Liceat per nos; ſemper *ſumma erit Parochorum dignitas*.

Sed Conventionis capita proponit Noſter pag. eadem. I. Canonici ſunt Epiſcoporum Conſiliarii ſuper regimine, curæque ipſius recta adminiſtratione. II. Conſiliarii ſunt non ad arbitrium adſciti, ſed ex neceſſitate in multis ſaltem Capitibus, quæ in unum locum congeſſimus Par. II. pag. 100. III. Quod in Capitulum Sede vacante omnis Epiſcopalis juriſdictio recidit. IV. Quod Canonicis Epiſcopus, immo commune jus præſens, poteſtatem ampliat Clavium, Canonico nimirum Pœnitentiario. V. Quod Magiſterium doctrinæ ſacræ tradendæ munus ipſis ſolemnius, ac præcipua quadam ratione concreditum eſt, Canonico nempe Theologo. VI. Canonici, non vero Parochi, una cum Epiſcopo ad Concilium Provinciale conveniunt. VII. Denique quod ipſi, præ aliis ſimplicibus Sacerdotibus, frequentius deſtinari ſoleant ad graviſſima omnium munia. Hic memorat *Examinatores Synodales*; ait *quod*

Canonici aliquando in Ecclesiastico Tribunali judicent de ipsis Parochis. Addit delicatissimum *Monialium regimen*, in quo plerumque Canonici vicariam operam præstant Episcopis. Concludit tandem: *quodque rem magis confirmat, mos invaluit, ut Parochi sibi ad Capitulum aditum patefieri postulent, atque ad Canonicatus ascendant; Canonici nunquam fere ad Parœcias descendant*.

RESPONDEMUS.

Ad I. Utique, sed ad Episcopi arbitrium.

Ad II. Negamus ex supradictis.

Ad III. Responsum est paulo supra, & alibi sæpius.

Ad IV. Pœnitentiarius vulgo audit Parochus Parochorum.

Ad V. Liceat per nos; meminerimus tamen Parochos magistros in Israel.

Ad VI. Nisi modestia vetaret, regereremus quæ de Assisiis ignotus ille pulcherrimi Operis Theologi nostri conspurcator habet, ubi nominat *Apparitores*. Latissime supra expendimus, quæ Parochorum partes in Synodis. Et quomodo callere poterunt Canonici abusus, & quibus in partibus disciplina sit reparanda, ceteraque, quorum in Synodis necessaria tractatio est, cum sint Animarum cura spoliati, cum Gregem, cui medeantur, non habeant?

Cum ergo ex eorum absentia nihil de publico bono decedat, expedit, ut Episcopum ad Synodum Provincialem euntem comitentur. Assumuntur enim ad decorem Episcopalis Digni-

tatis.

tatis. Et jure quidem cum ex Cap. DE CETERO 7. Cleric. non resident. Canonici dicantur esse *in servitio Episcopi*. O rem miserrimam! o Senatum!

Ad VII. Quando placet Episcopo. Et quoad *Moniales* (quando hic rei cardo vertitur, & has propter non minus, quam pro Helena illa Argivi, Troesque delirabant, insaniunt Parochi, & Canonici)

..... Longa est injuria, longæ
Ambages, nec summa sequi fastigia rerum
Expedit ......

Examinatorum *Synodalium* negotium expedivimus §. IX. Part. II. Piget refricare, quæ late disputavimus, cum de his ageremus; sed illud non animadvertisse videtur Theologus noster eos, qui ad experimenta (vulgo *Concursus*) accedunt, nondum esse Parochos. Præterea Parochi, imo simplices Presbyteri, & Regulares (modo sint Examinatores Synodales) Canonicos ipsos, qui Præbendas, ut vocant, Theologalem, vel Pœnitentiariam ambiunt, expendunt, probant, vel improbant. An tu non aurificis statera, sed populari quadam trutina hos tunc dices examinari? Uti rogas; res tamen conficitur. Stomachantes hæc scribimus. Vide quo nos impellit Noster.

Quod *Tribunal* memorat? Estne aliquod Tribunal proprium Capituli, in quo de capite, vel fortunis, solis agentibus præsidentibusque Canonicis, Parochi periclitentur? Anne de Ecclesiastica Curia loquitur? Teneo. At non ignorat agere ibi pro Fisco posse simplicem Clericum, & judicem ipsum, scilicet Vicarium Generalem, posse

illo munere fungi, modo sit Prima Tonsura initiatus.

Prælatitia quæ jactat *insignia*, habeat Canonicis suis; non invidemus; miramur magis, quomodo sic insanitum sit. Optandum maxime esset, ut Canonici nostri nunquam ornamentorum illorum pulchritudine adeo capti, & incensi fuissent.

Quod autem Canonici nunquam ad Parœcias descendant; Parochi vero Canonicatus anhelent, id unde fiat in hoc Opusculo satis, & sæpius indicavimus, memineritque Noster stultorum infinitum esse numerum; ac si his omnes ætates, regionesque abundarunt, nunc mirum est, quantum uberior copia excreverit ubique.

Interea Noster non secus ac si defossum invenisset thesaurum, *ignotum argenti pondus, & auri*, exilit gaudio, dum videt in Thomassino suo ex Concilio Emeritensi permissum Episcopis, ut Parochos ad Canonicatum transferrent, & consectaria, quæ inde laudatus Auctor deducit, avidissime arripit, & plenum Thrasonica gloriatione longissimum Thomassini textum excribit.

Me ad insaniam adduceret Scriptor hic. Paulo ante *inauditam novitatem* opproberaverat Emeritensi, cuius Constitutionibus nullo pacto stare poterit Noster; unico enim impetu evertunt, quæ ipse herculeo labore pro suis Presbyteris, Diaconibusque undique corrasit. Thomassinus ex pravo semel posito Principio pejora deducit consectaria, oblitus sui, oblitus Lectorum. Nonne pluribus, & frequenter firmaverat, & ad nauseam usque ingeminaverat Thomassinus, Canonicos tum temporis veros Parochos fuisse?

Quid

Quid igitur hic habemus, nisi Rurales Parochos factos Urbanos Parochos? At vide intolerabile σφαλμα! Quæ Canonicis illis, ut Parochi erant, tribuuntur in omnibus huiusmodi monumentis, Thomassinus, & Noster ad hodiernos Canonicos Animarum cura spoliatos detorquent. Consulemus JCtos, qua actione a nobis sint illa repetenda.

Bona videbatur pax oblata, diuturnam idcirco eam speravi futuram. Sed Noster videtur ad ingenium redire; etenim pag. 177. hæc habet: *Hic finem facere constitueram cum mihi obnuntiatum de aliquibus in exposita Presbyterii doctrina, ut ut innumeris auctoritatibus firmata, non satis mihi consentientibus, perinde ac si Parochis injurius fuissem, quos Presbyterio expulerim. Ad istorum igitur gratiam ineundam, age & Parochos etiam quoquo modo fas est, in Presbyterium admittamus.*

Sanus ne es? Te e Presbyterio, in quod invaseras, Parochi deturbarunt; conditiones accepisti; Tua tibi habere jussus es, & T*u ad Parochorum gratiam ineundam, Parochos etiam quoquo modo fas est, in Presbyterium admittis*? Apage te cum ista ingrata gratia. Rursus tricaris; distintiunculas comminisceris; præmittis: *Neque enim omnia tanquam imperitis Lectoribus enucleanda tum censui*. At enucleasses; vides enim Parochos non recte assecutos sensa tua. Sed non poteras enucleare: nondum enim ACUTISSIMI INGENII VIR, *atque ad conciliandas partes* APPRIME COMPARATUS NICOLAUS CALDORA S. T. M. tibi distinctionem illam suppeditaverat. Ea quanti pretii sit, in

præ-

præſenti diſcutere non vacat; judicent alii, videantque Theologiæ nè, an Canonicæ egeris? Tum ſi hujuſmodi Metaphyſicæ Abſtractiones hic poſſint obtinere. Bonam interim mentem ſuaviſsimi Caldora (paucis a diebus ſum huic in amicitiis junctus, eumque plus oculis meis amo) laudamus. Mitiſsimi ingenii Vir eſt dignus, qui ametur.

Eſt quoque dignus qui ametur, Theologus noſter; ipſi ex parte gratulamur, ipsumque de hac Appendice valde amamus.

Sed antequam hinc abſcedamus, eſt unum, quod omnino monitos volo Lectores, illudque tacitus omnino præterire non poſſum. Singularis meus erga Theologum amor effecit, ut ipſum perquam honorifice in hac tota Lucubratione exceperim, multaſque ei paſsim laudes impertiverim; ejus enim opus *pulcherrimum*, ipſum vero *doctiſſimum* ſæpius appellavi, & quod magis mirandum, cum is in Pii Sexti Bullam impegiſſet, *innoxium Pianæ Bullæ violatorem* ipſum dixi. Tantum abſuit, ut vel hominem, vel ejus operam intemperantius proſcinderem; id enim & nefas erat, & a meo valde abhorrebat ingenio. At cum nuper accepiſſem viros & uſu rerum peritiſsimos, & doctrina præſtantes extitiſſe, qui de Theologi libro uſque adeo non bene ſenſerint, ut affirmaverint illum & Tranſalpinum quid redolere, & dignum eſſe, qui justa cenſuræ nota multetur, illico me non levis ſuſpicio, metuſque inceſsit, ne eandem, quam Opus, Operis etiam laudator invidiam, offenſionemque ſuſciperet. Quæ cum ita ſe habere intelligerem, mihi ipſe deeſſe nolui, nec committere, ut nulla animi

mei

mei significatione indubium facerem, mihi nunquam id consilii fuisse, ut quæcumque eo in libro reprehensione aliqua digna inveniri acciderit, ea ipse laudibus illi attributis probare ulla ratione voluerim, qui omnia, quæ hic scripsi, summi Ecclesiæ Hierarchæ judicio, & S. *Romanæ* Cathedræ Sententiæ omni animi demissione subjicio.

Quod ad εγκωμιαςην autem illum ineptissimi Epigrammatis auctorem attinet, primo ridiculum ejus sub geminati B. siglis delitescendi studium satis mirari non possumus; deinde ipsi gratulamur, quod Jansenistarum morem tenere, eorumque imitari exempla laudi sibi fore duxit; monendum denique ducimus, quod si non singuli, plerique certe de Clero, quem sugillat; possunt ei ingerere

Et nos tela etiam, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.
Æneid. XII. 30.

Ego tamen Theologi vicem doleo, qui sive Epigramma illud domi sibi natum aliquem conduxerit, cui commodaret, & quem tanquam fabulam doceret (qui scilicet rumusculi in Urbe percrebuerunt) sive ab alio, qui de suo turpissimam per assentationem illud cudisset, libentissime acceperit, vulgandumque curarit, numquam certe non pessime existimationi, famæque suæ consultum ivit. Nos autem, qui id, quidquid laboris est, nonnisi veritatis amore suscepimus, ne injuriam etiam per jocum fortasse veritati illatam, inultam patiamur, ad ejus normam puti-

tidulos illos exigentes versus, hoc pacto, necnon per jocum, atque risum castigandos, immutandosque censuimus.

EPIGRAMMA INCERTI ILLIUS AUCTORIS BB.

Jura Sacerdotii dum prima ab origine ducis,
Et vera illius munia quemque doces,
Nil nisi communem Cleri jam pene labantis
Causam agis, in proprio quem cupis esse gradu.
Hinc tua, Vincenti, perdocta, ac plena nitoris
E Clero quisquis carpere scripta volet,
Se certe aut Latii prodet sermonis egenum,
Aut proprii ignarum juris, & officii.

R E P O N I M U S.

Jura Sacerdotii dum prima ab origine ducis,
Et falsa illius munia quemque doces,
Nonnisi communem Cleri rem pene labantis
Perdis, quem proprio dejicis usque gradu.
Hinc tua, Vincenti, fucati plena nitoris
E Clero quisquis carpere scripta volet,
Se certe haud Latii prodet sermonis egenum,
Haud proprii ignarum, juris, & officii.

LE-

LECTORI BENEVOLO.

ANtequam, amice Lector, libelli hujus lectionem attingas, illud tibi semel prædictum scias, in eo usque adeo operarum vitio, quibusdam præsertim in locis, corrupta omnia esse, ac depravata, ut mirum videri debeat, si te ad necem usque non fatigent, atque excrucient. Adeo bonorum votis, quibus felicia, faustaque omnia Operi adprecabantur, partim scilicet pro sua ipsorum in me nihil tale merentem voluntate, partim pro incensissimo, quo tenebantur, veritatis studio, importunum nescio quod typographicum veluti fatum intercessit. Reliquum est ut acceptam ab Opusculo hanc, ut ita dicam, calamitatem, tu humanitate tua imminutam quodammodo, ac levatam esse velis. Vale.

ERRATA	CORRIGE
Pag. *9*. lin. 17. hic debent	hi debeant
21. l. 18. Adversarii nostri	Adversarii Theologi nostri
24. l. 32. exurgent	exurgerent
26. l. 10. ex si	si ex
30. l. 1*9*. elegatissime	elegantissime
43. l. 8. Exquitur	Exequitur.
44. l. 1. pœna est	pœna non est
53. l. 1*6*. timore	tumore
*6*5. l. *6*. Hoc vero	Hoc vere
Ib l. 7. de quo agimus.	de quo agimus?
*6*8. l. 4. sulcipere	suscepere
72. l. 3. prosroget	proroget
Ib. l. 25. ententia	sententia

ERRATA	CORRIGE
73.l. 4. Quoſcumque	Quaſcumque
Ib.l.18. operæ	opere
74.l. 2. pollice probamus	pollice ſubſcribimus
77.l. 3. dicedendo	decedendo
Ib.l.31. *Proviſoria*	*Proviſorias*
87.l.28. indictos	inditos
90.l.11. fuiſſe	fuiſſet
Ib.l.33. Ducis	Duces
91.l.34. inſiederit	inſederit
96.l. 5. apte	aptæ
Ib.l.21. infe itas	infelicitas
104.l. 3. induſtriam	induſtrium
105.l.23. Eccleſia	Eccleſiæ
110.l.23. ignari	ignavi
114.l. 4. in nulla	in nullo
116.l. 7. homanam	humanam
Ib.l.29. Presbxteros	Presbyteros
118.l.17. Subſcriptis	Subſcriptiones
Ib.l.31. quas ad	quos ad
119.l.14. vocatas	vocatos
120.l.22. ſociis quas	Sociis quos
Ib.l.24. dictum	dictu
Ib.l.27. diviſas	diviſos
122.l.22. Officiaies	Officiales
123.l. 5. inquiram ſpem	inquiram . Spem
124.l. 1. noſtro	Noſtro
Ib.l. 7. queſtione	quæſtione
Ib.l.29. illicita	illicia
125.l. 2. imperiret	imperitet
126.l. 3. Epiſcopi; centum	Epiſcopi centum ;
127.l.30. Straregum	Strategum
128.l. 5. Burgurnia	Burgundia

135.

ERRATA	CORRIGE
135.l. 8. Μχρια	Μανία
141.l.30. non receptio	novi receptio
143.l.15. eununuchi	eunuchi
144.l. 9. ſi judicium	ſi judicum.
173.l.10. novo	nodo
199.l. 9. Purochorum	Parochorum
200.l.14. Pariſmorum	Pariſinorum
212.l. 1. ſequens	ſequent:
217.l.26. ſuum Capitulum nobis pro Crœſo obtrudit Irum	Irum ſuum Capitulum nobis pro Crœſo obtrudit
224.l.11. gratia	gloria
247.l.28. compenſcatur	compeſcatur
255.l.12. reclamat	reclamet
261.l 5. fœdis	fædius
263.l.22. Eccleſiaſticorum	Eccleſiaſticum
265.l.10. pateat). Omni	pateat) omni,
266.l.20. numeratos	memoratos
273.l.19. extiit	extitit
286.l.25. bonos ille	bonus ille
Ib.l.32. poſſumdedit	peſſumdedit
290.l.16. reigreſſum	regreſſum
Ib.l.17. at qu	at qui
295.l.11. quandoquieem	quandoquidem
297.l.13. capellos	capellas

